

www.e-rara.ch

Joh. Georgii Fueslini Conclavia Romana reserata

Füssli, Johann Georg

Tiguri, 1692

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13159>

Sectio tertia, in qua partim de proxime electionem pontificis per cardinales
antecedentibus, partim de conclavi,

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]


Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

(quia hac concessio ab alio Papa rescindi potest) ad minimum proximi successoris eligendi potestatem suo Nepoti concedere, aut amico, vel propinquo, imò etiam faminis; qua sicut Juris Patronatus ita electionis quoque non sint incapaces. Et hujusmodi Nepos, quem penes erit potestas eligendi plenaria, poterit per subornatum, cui vices suas crediderit, procuratorem, curare se eligendum, & ita successive alii nepotuli in infinitum, adeoque fiet Papatus hereditarius. En quò nos, imò quo Papatum pessimi Paparum adultores suâ stultitiâ perduxerint!

Cardina-
lium in
eligendo
olim ina-
qualitas;

CXVII. Cardinalium autem autoritas in eligendo Papa olim non omninò æqualis erat; Sed cum Cardinales eligere ceperunt, primò tractabant inter se Episcopi Cardinales, & deinde alios Cardinales vocabant, ut *d. c.* in nomine Domini 23. di. Prout certè in genere ante Bernhardum uno, aut altero seculo, veri collaterales & intimi Papæ, non erant omnes Cardinales, sed soli illi Episcopi Cardinales. Id quod ex Petri Damiani ad Cadolaum Anti-Papam verbis, quæ apud Baron. *ad an. 1061. n. 11.* colligi potest. Sed hodie ista prærogativa Episcoporum Cardinalium sive in electione Pontificis, sive in aliis non tenetur, dum in tractatibus omnibus omnes habentur pares, Episcopi, Presbyteri, Diaconi.



SECTIO TERTIA,

In qua

Partim de proximè Electionem Pontificis per Cardinales antecedentibus, partim de Conclavi, ceu Electionis per eosdem loco, partim de Conclavistis, ceu Cardinalium, dum Electionis causâ congregati sunt, ministris, partim de legibus Conclaviariis, partim denique de variis modis, quibus Cardinales Pontificem sive per scrutinium, sive per accessum, sive per inspirationem, sive per compromissionem eligere solent, modis; agitur.

Breviarium.

I. Transito ad historiam Electionis forma huic inservientem. II. Antecedentia; Vel Resignatio; Vel Depositio; Vel Mors; Circumstantia & ritus circa morientem & jamjam mortuum; Mutatio status per mortem Pontificis, ex Concl.

Concl. Greg. XV. ob oculos posita; III. Annotatio ad verba Conclavis; IV. Eorum declaratio respectu Pontificis morientis; V. Multorum gaudium, si minus factum amavit; Exemplo Adriani VI. VI. Si nimis amavit, iniquus fuit, multum Nepotibus indulgit, Bonifacii VIII. Pauli IV. & Innocentii X exemplis; VII. Imò excretionibus omnium sepe impetitur; Exemplo Sixti IV. & Pauli IV. VIII. Neperum humiliatio ex Conclavi Leonis XI, IX. Alexandri VII. X. Mutatio respectu Regiminis Politici & Ecclesiastici; XI. Cardinalium sede vacante cura & auctoritas; XII. Tumultus in civitate; XIII. Funebria Pontificis; XIV. Praxis, ex Conclavi Clementis IX respectu Alexandri VII. XV. Congregationes Cardinalium; XVI. Dilatio Electionis per decem dies; XVII. Quibus exactis, licet etiam paucissimis presentibus Papam eligere, admittuntur tamen post venientes; XVIII. Studium mature Romam veniendi; XIX. Conclavis institutio; XX. Violata aliquoties; XXI. Locus Conclavis; XXII. Quaestiones de eo; XXIII. Locus specialiter, Cellula; XXIV. Earum distributio, regumenta & constans earundem ab isdem possessio; XXV. Simul intrant primo Conclavista; XXVI. Eorum privilegia; XXVII. De privilegiis, Tridentinorum querela; XXVIII. Conclavistarum auctoritas, tempus fallendi modus, & cum iis, qui extra Conclava degunt, loquendi ars; XXIX. Sunt Authores Conclavium plerumque; Quorum relationes imperfecta; XXX. Non tamen nullius ponderis; XXXI. Cardinalium in Conclavi socii ministrantes alii; XXXII. Ingressus in Conclava; XXXIII. Libertas primi diei, quoad introitum; XXXIV. Quam excipit necessitas exeundi respectu illorum, qui adesse non debent; Nec licet apud Conclava habitare vel morari; XXXV. Clausura Conclavis & instrumentum de ea; XXXVI. Communicatio cum extra degentibus prohibita, tamen nonnunquam instituitur, aliquando etiam impeditur; XXXVII. Persecratio ciborum; XXXVIII. Egredi ante Electionem factam non permittitur; Mos primo die exeundi sublatus; XXXIX. Aegris tamen exire & redire licet; XL. Bisomnes egressi ante Electionem; De egressu multorum & omnium; XLI. De egressu Conclavistarum; XLII. Custodes Conclavis; XLIII. Leges cibaria; XLIV. Quomodo observentur; XLV. Lex vestiaria; Singulartates ratione vestium; XLVI. Transitus ad actiones in loco; Capella, in quibus deliberationes & Electiones fiunt; XLVII. Inter actiones in Conclavi prima est Capitulum pro futuro Pontifice conscriptio; XLVIII. Electionis per solos Cardinales modi diversi; XLIX. Primus per scrutinium. Antescrutinii actus; L. Primus. Scedularum preparatio; LI. Secundus, extractio Scrutatorum; LII. Tertius, Scedularum scriptio; LIII. Quartus, complicatio; LIV. Quintus, obsignatio; LV. Scrutinium ipsum; Vbi primo; LVI. Delatio schedula, secundo Iuramenti praestatio; Tertio positio schedula in calicem; LVII. Quid respectu infirmorum observari soleat; LVIII. Infirmarii; LIX. Quarto schedularum permixtio; Quinto numeratio; LX. Sexto publicatio Scrutinii; LXI. Septimo schedularum in filum insertio; Octavo depositio seorsim; LXII. Postscrutinium; LXIII. Secundus modus per Accessum. qui adhibetur post scrutinium insufficiens; LXIV. Quale semper ferè est; LXV. Accedendi consuetudo ex antiquitate Romana; Actus in accessu; LXVI. Differentia inter antecedentia & actum primum accessus, &

inter simplex scrutinium; LXVII. Secundus, tertius & quartus actus Post-scrutini, accedente & numerato etiam accessu; LXVIII. Examinis ratio; LXIX. Signa & sigilla; LXX. Quid fieri soleat, si 2. vel plures schedulae reperiantur cum eisdem signis & sigillis; LXXI. Quintus actus, numeratio suffragiorum; LXXII. Sextus Recognitio per Recognitores; LXXIII. Septimus, schedularum combustio; LXXIV. Concluditur tractatio de scrutinio & accessu; LXXV. Tertius modus per adorationem; LXXVI. Differentia de numero ad adorationem necessario; LXXVII. An sit modus unicus per adorationem & per inspirationem; LXXVIII. Pugna de numero requisito; LXXIX. Ravior est iste eligendi modus, periculosus eligendo, si omnium vota requirantur; LXXX. Periculosus & aliis; LXXXI. Adorati, nec tamen electi; LXXXII. Scrutinium post adorationem, sine praedictio; LXXXIII. Quid fieri debeat, si post adorationem scrutinium deficiat; LXXXIV. Quartus modus per compromissum; Vbi compromissariorum constructio; LXXXV. Electio per compromissarios; LXXXVI. Quando adhibita & adhiberi soleat; LXXXVII. Peculiaris modus in Martino V. LXXXVIII. De modorum sanctione & imperata perennitate, Ex Bulla Pii IV. LXXXIX. Ex Cereemoniali Gregorii XV. XC. Executores legum; XCI. Conclusio.

Transitio
ad histo-
riam ele-
ctionis
forma
huic in-
servien-
tem;

I. **P**ergimus jam ad ipsam historiam Electionis per Cardinales, non Electionum specialium, sed electionis, sive ad antecedentia, locum, leges & formas eligendi; Quæ omnia distinctè enarranda sunt, non quasi omnia illa, quæ commemoraturi sumus, in qualibet Electione & omni tempore occurrerint, sed quia omnia paulatim ad hodiernum morem excreverunt legibus Pontificum, maximè Alexandri III. Gregorii X. Clementis V. & VI. Julii II Pii V. Gregorii XV. stabilitum.

Ante-
cedentia;
Vel Resi-
gnatio,
vel Depo-
sicio, vel
Mors;
Circum-
stantia &
ritus circa
morien-
tem &
jam am-
mortuum;
Mutatio
factus per
mortem
Pontificis

II. Antecedentia quod attinet, Electioni viam sternit Prædecessoris vel resignatio, vel depositio, vel mors. Resignasse leguntur Pontifices Romani quinque, nempe *Clemens I.* de cujus exemplo ratione Electionis per Prædecessorem pluribus *Sect. I.* actum est; *Cyriacus* ex visione S. Ursulae & 11000. Virginum in fabula comes futurus, juxta *Glossam ad c. 1. renuntiat, in 6.* de quo tamen, juxta eandem in Codicibus vetustioribus, creditum per Cardinales, quod non propter devotionem, sed propter oblectamenta Virginum Papatum dimississet. Quod fortè etiam respexit *Gomezius* apud *Limnæum l. 2. c. 11.* scribens: Pontificem posse Papatui renunciare, id tamen raro fieri, nisi cum causa, quando videlicet propter oblectamenta Virginum eum dimittat; *Marcellinus* ob commissum à se Idololatriæ & Apostasiæ crimen; *Cælestinus* tenuitatis suæ conscientiam & suo loco memorandam Successoris *Bonifacii VIII.* fraude, qui & memor, quantum inde sit lucratus, atque ad jus suum roborandum, decre-

to abdicationem lib. 6. *Decretalium* firmavit, indicavitque, fieri posse; Uti etiam Augustinus Triumphus Anconitanus *de potest. Eccl. quest. 4. art. 5.* decretum contrarium fieri à Papa non posse statuit, eo potissimum argumento nixus, *nullum dubitare debere, quin talis possit eligi in Papam, qui nec scientiâ, nec experienciâ sufficiens esset ad regendam totam Ecclesiam: sicut aliquando electus est. Unde si sibi renunciare non liceret, faceret contra veritatem suæ conscientia &c.* Denique Johannes XXIII. in schismate, de quo suo loco etiam. *De Renunciatione Papæ* autem peculiari tractatu egit Ægidius Columnius Romanus. Atque eam à longè pluribus fieri debuisse, tum ex causa jam jam apposta, tum ex exemplis indignitatis suo loco ponendis patet, patebit; Papas Romanos aliquot depositos esse historia schismatum secutura testabitur; Deponi Papas posse inter Pontificios controversitur, dependetque hæc de Controversia, quæ inter eos est, quoad supremæ potestatis Ecclesiasticæ subiectum. Et heic quidem modò ajunt, verbis supra allatis, Papas planè non judicari, modò addunt, etiam deponi posse, si sit à fide devius, modò à fide deviare posse negant. De depositione propter crimina, præter hæresin, haud minùs dissentiunt, dum eam alii in eo casu licitam, imò necessariam esse contendunt, alii, maximo numero sceleratos & apertè scandalosos fuisse haud nescientes, male certè, de Sanctitatibus Suis, negant; Optimè autem nos denuò concludimus, longè plures etiam deponi debuisse, indignos renunciare nolentes. Omnes, qui non ante deponunt, nec deponuntur, deponit mors. Mortis Pontificum circumstantiæ & ritus *in S. Cærem. Rom. l. 1. p. 155. seq.* videri possunt; Ut nempe & à Medicis, & à Confessore in discrimine vitæ de illo, & ut voluntati divinæ non invitus adhæreat, eaque, quæ ad animæ salutem pertinent, curet, admoneri ut confiteri, ut plenariam indulgentiam petere, ut ab omnibus, quos fortè injustè offenderit, veniam, veniam item, si in administratione offenderit, postulare, ut Sacramenta recipere, ut Cardinalibus valedicere, ut eos de Successore digno eligendo hortari, & unum vel plures, si ei videatur, nominare, ut debita & credita aperire, scripturas & thesauros manifestare, ut testamentum, si velit, condere, ut sepulturam eligere, ut Camerarius cum tribus ex Collegio inventarium facere & custodiam apponere, ut aliquis ex domesticis Prælatiis crucem inspiciendam, osculandamque præbere, ut Sacrista commendationem animæ, prout in ordinario,

ex Con-
clavi Gre-
gorii XV.
ob oculos
posita;

cere, ut Pœnitentiariorum circumstans chorus Psalmos pœnitentiales & alia, mortuo Pontifice Officium mortuorum legere, Cardinalium verò mox narrare, & quilibet defunctum absolvere, responsoriumque cum suis versiculis & orationem pro defunctis dicere, ut Camerarius annulum Piscatoris minutè concidere, & typum Bullarum ex parte illa, ubi nomen Pontificis, frangere, ut mors Pontificis per signum æris Campani aliàs nunquam pulsari soliti è Capitolio populo notificari, ut à Cubiculariis aqua calida cum herbis odoriferis parari, ut à tonsore barba radi, ut corpus in Camera secreta cum optimo vino albo aromatizato & calido lavari, locus spumans quilibet aromatibus, myrrha & aloes nares, & aures musco, & totum corpus balsamo, manibus bene fricatis, impleri, vestibis communibus usque ad rochetum, deinde sacris, ac si esset celebraturus, cum omnibus ornamentis indui, inde super lecticam aureo panno coopertam cum Pontificis & Ecclesiæ armis & cervicalibus ex panno aureo etiam ad pedes cum duobus pileis Pontificalibus in Camera Papali poni, ut ibi à psallentibus custodiri, ut denique horâ competente & quâ pompâ ad Capellam majorem portari debeat. Romano autem Pontifice expirante, status, qui sub eo obtinuit, simul quoque expirat universus, mutantur omnia. Hinc author Conclavis Gregorii XV. ita orditur: *Non dica d'essere stato in Roma &c. Non dicat, se Roma fuisse, qui non ibi commoratus est sede vacante, quando enim alio tempore omnia eo ordine incedunt, quem Pontificis viventis auctoritas præscribit, tunc omnia ita mutantur, ut ne species quidem priorum remaneant; Tunc altitudines adorata & idololatricè culta ab adulatione aulica omnes cum magna sua mortificatione humiliantur. Ita ut ille, qui prius ostenderat spiritum domini & superbia & cum primis de præ eminentia contemderat, humiliatus se inclinet atque incurvet coram iis, quos paulo ante contempserat; Tunc fastus prioris Magistratus deponitur, & talis, qui nihil antea estimabatur, præ se fert, se posse pro lubitu suo claudere aut aperire viam ad sublimitatem Pontificatus illi, qui se ei antea humanum exhibuerat. Tunc cessat tribunalium auctoritas, & cuiuslibet libera facultas relinquuntur loquendi & scribendi publicè, quod antea multis de causis retinendum erat. Ille proin felix & sapiens est, qui ita vivit, ut in tali casu non accusari possit &c.*

Annotatio ad Verba Conclavis;

III. Contendit Author, Roma non fuisse, qui non sede vacante ibi fuerit. Quod paradoxum quodammodo contrariari videtur vulgari

vulgari verbo: *Roma fuit, & Papam non vidit!* Hic contrà sentit, Romæ non fuisse, qui Papam semper viderit; Nempe sede vacante Roma est magis Roma, *ῥόμη*, confluxus fordium omnium, alia Roma à priori multùm diversa. Videamus autem de mutatione illa distinctiùs, quia lucem aliquam tractationi nostræ dare potest, & ex corruptione illa paulatim nova oritur generatio.

IV. Ipse Papa, Vicarius Christi, Caput Ecclesiæ, potentior omnibus, metuendus omnibus, etiam Regibus, præcipuum idolum adoratum, idolum idolorum reliquorum, fundamentum reliquorum jacet, plerunque invitus & malè jacet, non tantùm aliquo modo mortificatus, sed planè mortuus; mortuus, ut moriuntur homines cæteri, sed ejus memoria plerunque non est in benedictione.

V. Sed primò mors gaudium affert; Ut tunc quoque sæpe dici possit: *Annuncio vobis gaudium magnum, perdidimus Papam. Pervolga- ta per Roma la morte d'Innocentio &c.* Id est: *Publicatâ per Romam Innocentii (X.) morte, gaudere cœpit Civitas, ut solet in ejusmodi casibus.* Neque hoc mirum videri debet, quandoquidem gaudet populus ob libertatem, quam habet sede vacante, gaudent Cardinales ob spem cujuscunque, si non directè de Papatu sibi conferendo, saltem de Papa secundùm placitum suum eligendo. Exultant gaudio omnes Cardinalium cognati & amici, sperantes, se mediante promotione eò consensuros; unde alii descendunt, & tandem gaudent malè contenti, videntes, se liberos à tantis oppressionibus; Sunt verba Abbatis Gualdi *Vita di Donna Olympia* p. 437. 438. Gaudium autem aliquando, sed rarius, affert mors Pontificis, si minùs Curia fastum amavit defunctus; Cujus exemplum in Adriano VI. Papa Germano, habemus; De quo ita *Conclavre Successoris Clementis VII. La cui morte intesa &c.* Romani, morte ejus intellectâ, incredibili gaudio atque voluptate perfusi sunt, quoniam universaliter toti Curia parùm gratus erat, tanquam multùm diversus à pompa & magnificentia & splendore Antecessorum suorum proximorum, quanquam reverà magis propinquus bonis illis qualitatibus, quæ queri atque desiderari solebant in electione Pontificum Ecclesia primitiva. Usque ad eò, ut postquam Sanctitati suæ periculum imminuisset à casu supraliminariis porta Capellæ Pontificiæ, quò mane quodam ibat ad Missam audiendam, ita ut ex casu Lapidis illius occisi sint nonnulli milites præsidarii Helvetii, & Sanctitas sua vix salvata fuerit ex illo periculo; & salus facta fuisset, tam parùm multis Prælatibus ibi præsentibus grata fuerit, ut quidam illorum in præsentia Cardinalium, dum de periculo Sanctitatis suæ ser-

Eorum
declarati
respectu
Pontificis
morientis;

Multorum
gaudio; si
minùs fa-
stum ama-
vit; Ex-
emplo A-
driani VI.

mo erat, populo insultârit, & fortuna maledicere ausus sit, & fato, eò quòd à morte eam liberaverit; & quod maximè mirandum, Prælati ille non fuit à Cardinale idèd reprehensus ullo modo ob maledica illa verba, sed potius laudatus & benignè habitus. Proin sanctus iste vir tanquam parùm regimini mundano aptus multis calumniis laceratus fuit &c.

Si nimis
amavit,
iniquus
fuit, nimis
Nepotibus
indulfit;
Bonifa-
cii VIII.
Pauli IV,
& Inno-
centii X.
exemplis;

VI. Sed gaudium multò majus, saltem frequentius & quasi ordinarium affert mors Papæ, si ultra modum malus fuit, nimis fastum amavit, Nepotibus nimis indulfit; Neque tantùm, quando Papa gaudii vehementiâ moritur, quod Onuphrius Leoni X. contigisse in vita testari videtur; Bonifacius VIII. quidem mortuus est, secundùm Authorem Cardinalismi p. 3. l. 1. p. 74. di *dispicere, aegritudine mentis*; sed grande in vero &c. Magnum reverà fuit gaudium, quod accepit Christianus orbis ex morte Pontificis Pontificatu indignissimi, & præcipuè Principes & Cardinales ignibus accensis lætitiâ testati sunt. Plurima ejusmodi exempla ex seculis remotioribus dare possemus, sed tunc monstra in sede monstrabantur. Propius exemplum in Paulo IV. contuemur, de quo *Vita di Sisto V. p. 1. l. 3. p. 181. La sua morte &c. Mors ejus gaudio affectis non tantùm populum Romanum, sed omnes Principes Christiani orbis.* Exemplo sit adhuc recentiori Innocentius X. quod ita exhibet Abbas *cit. loc. cit. Ma se mai la Città di Roma si trovò in allegrezza &c. Sed si unquam Roma gaudio affecta fuit per mortem Pontificis, certum est, gaudium ex morte Innocentii quodvis aliud superâsse, non tam ipsius Innocentii, quàm verò Domina Olympia tam exose intuitu. Omnes boni Deum laudabant videntes sic Ecclesiam à tyrannide istius femina liberam &c.* Ita etiam gaudium illud exhibet Author *Conclavis Alexandri VII. ut ipse quoque simul de gaudio ex morte Pontificum quasi ordinario testetur: L'angonia &c. Per angonem decem dierum, inquit, diminuta fuit lætitia ex morte ipsius, quæ sequi solet ex morte Pontificum diu regnantium; quandoquidem & bonum & malum majora sunt, dum ex improvise obtingunt, utrumque autem longa expectatione diminuitur.* Ubi manifestè loquitur de morte Pontificum, tanquam de bono quodam, de nuncio mortis, tanquam de Evangelio.

Indè ex-
orationi-
bus om-
nium sæ-
pe impeti-
tur; E-

VII. Indecorum hoc est, lætari de morte Patris, lætari de morte Vicarii Christi, Capitis & Sponsi Ecclesiæ; Ast quid si ei post mortem sæpe maledicatur? Exemplum hîc luculentissimum in Sixto IV. ut multa alia taceamus, occurrit. De cujus morte Author *Conclavis Innocentii VIII. sequentia habet: Die decimâ Au-*
gusti

Augusti S. D. N. Sixtus Papa IV. visus fuit complicatis manibus in vesperam & multum tristis. Deinde sequenti die acceperunt ad eum ordines Confederatorum, putantes forte asserre ei aliquod gaudium, & exposuerunt ei, qualiter conclusa erat pax per totam Italiam, etiam, quod omnes Potentie de Liga & confederatione reducta erant ad concordiam; de quo ipse multum obstupuit; & miratus est, quare pax sine eo conclusa esset, at- tento quod, ut dicebat, ipse principaliter debuisset intervenire. Et cum hoc sapius interrogasset ab illis, & esset certificatus, quod dicta pax erat conclusa; adeo quod non poterat amplius retrahari, doluit valde; (Vicarius Principis pacis!) Et causa doloris communi omnium existimatione hac fuit, quia semper in omnibus suis operibus animum suum ostendit in hunc finem, ut aliquem statum, potentiam, sive dominium acquireret Comiti Hieronymo, (egregia causa pacis inimica!) ut videri potest per exempla. Primum, propter bellum, quod gessit Tudertinis, Spoletanis, Civitati Castellæ & Florentinis. Deinde propter confederationes, quas fecit, primum cum Rege Ferdinando, secundum contra eum cum Venetis, tertio (horas mutatus cum dicto Rege, & in aliis similibus. Putabat modò, in hac pacis conclusione se posse aliquid Comiti Hieronymo acquirere, & ista de causa in tali confederatione (En dignam rursus causam!) & pecuniam Ecclesia expendit, (En elemosinæ optimum usum!) sed postquam vidit se illusum, (astutus decipitur in astutia sua!) & cecidisse ab hac spe, & pecunias Ecclesia expositas perdidisse, nihilque ex bello prædicto acquisivisse, doluit valde; (spes enim improba non fatiat;) Itaque tam ex primo dolore, quam ex novissimo (quem Evangelium pacis attulerat!) infirmatus est ex febre; jacuitque in lecto, & obmutuit, visusque fuit exanimis per aliquod spatium, deinde in se reversus, inflato guttore, duodecimâ Augusti quintâ horâ noctis ab hac vita migravit. Manè sequenti corpus ejus delatum fuit in Ecclesiam Sancti Petri viginti duntaxat cerreis in torcitiis (ut non hic opus fuerit lege pompam funebrem restringente) in quadam antiqua aurea planeta, paucis comitatus hominibus. Erat quidem niger, deformis, & guttur ejus inflatum. Omnes eum maledicebant, nec visus fuit homo, qui de eo bene dixerit, nisi quidam Frater S. Francisci, qui solus illa die corpus non sine magno fetore observabat. Condita fuerunt in eum multa carmina, fortasse quia literarum & bonos mores habentium semper inimicus fuit, inter quæ fuerunt ista:

Leno, vorax, Pathicus, Meretrix, Idolater, Adulter,

Si Romam venerit, illicò Cræsus erit.

R r

Quæ

remplo 2i-
xii 1V.
Pauli 118.

Quæ quidem eximia & Vicario Christi scilicet digna sunt elogia; *cujus tamen sanctissimo imperio soli Platinæ historiam de Vitis Pontificum debemus*, ita enim ille in proæmio ad Xystum, vel Sixtum hunc loquitur, *Theologorum ac Philosophorum*, quibus *ibidem* adulatoriis vocibus utitur, *Principem*. Aliud exemplum indigitat Onuphrius, qui Paulo III. in vita tribuit, quod mortuus non adeo probatus fuerit; Aliud in cæteris eminens suppeditat *Vita di Sisto V. p. 1. l. 3. p. 185.* ubi, quid mortem Pauli IV. immediatè exceperit, significatur: *La plebe di Roma &c.* inquit Author, *Plebs Romana egrè ferens, se usque adeo subjugari tremendo illo Sancti Officii tribunale, mille insolentias exercuit, nam cum magno impetu cucurrit ad flammis consumendum Inquisitionis locum; Sed neque sic contentus furibundus populus porro caput cum manu dextra amputavit statuæ marmoreæ Pontificis magnis sumptibus & à peritissimis artificibus confecta atque in Palatio Conservatorum locata, eam tribus continuis diebus per plateas trahendo, in omnibus civitatis angulis, eamque omni immunditiei genere conspurcando &c.* Exemplum malè tractatorum post mortem Pontificum, & à Pontificibus quidem, Formosi, in historia Schismatum; Johannis XIV. apud Baron. ad an. 1058. n. 1. 2. videri possunt &c. Sæpissimè autem Pontifices post mortem malè audiunt ob insolentiam Nepotum; Hinc Urbanus VIII. *L'Amb. di Rom. veçtigal*, (Papa Gabella) vocatur; p. 220. Alex. VII. omne Senensium nomen Romanis abominationi fecisse dicitur &c.

Nepotum
humilia-
tio ex
Conclavi
Leonis XI.

VIII. Nepotes autem vel maximè dicuntur idola adorata; Et quorum mortificatio etiam mortem Pontificum excipere, electionem aliorum præcedere solet. Audiatur de eo omnium loco Author *Conclavis Leonis XI.* qui, factâ de morbo Clementis VIII. lethali & nuncio Cardinali Aldobrandino allato, mentione, subiungit: *Nova, la quale &c. Quod nuncium, quàm amaras reddiderit dulcedines Cardinalis, assueti semper dormire in brachio fortuna, & quàm attonitam reddiderit Curiam, qua non expectabat tam altum precipitium; hoc omne considerationi Lectoris relinquo.* Augebant stuporem voces populares, quod per delirium perpetuum Pontificis Aldobrandinus specialiter non potuerit Brevia consicere, ad transferendam dignitatem Camerarii in Sanctum Cesarium, Nepotem suum, ad retinendum pro se summi Penitentiarii gradum, ad vendendam dignitatem Thesaurarii, & ad vendicandum sibi alia ambigua; unde novus Pontifex non habere possit occasionem & pretextus legitimos domum Aldobrandinam debilitandi;

quam

quam multi assimilabant spelunca illi, in qua Leo se infirmum finxit, animalibus quidem omnibus ingredientibus, sed redeunte nemine, indicare volentes, ibi cum summa parsimonia conservari divitias, collectas cum tanta aviditate &c.

IX. Testis non minùs luculentus accedit Author *Conclavis Alexandri VII.* dum narrat, quomodo circa finem Urbani VIII. tractatum fuerit cum Cardinale Capponi de resignatione Archiepiscopatus, *che Antonio &c. quem Antonius ad imitationem Petri Aldobrandini (illius ipsius, de quo n. preced. agit) volebat capere, ut habeat, sicut ille, locum refugii, presagiens jam tum adversitates, quæ eum Româ expellere debebant. Sed ille ipse Antonius mortuo Alexandro VII. odio erga Nepotes illius concepto rursus commendatus fuit, quando nimirum cognati recens defuncti Pontificis non potuerunt sfuggire &c. effugere convitia & injurias plebis insolentis, graviter exacerbata; Et fœminæ domûs Chigiæ necesse habuerunt, sine con &c. etiam lachrymis deplorare Satyrice & Pasquinaria continua, quæ contra familiam etiam cum honoris læsione quotidie audiebantur, juxta Authorem Conclavis Clementis IX. Tunc enim Antonius ille, che alla morte &c. quem post mortem Urbani maledictis persequabantur se improvisa mutatione elogiis & applausibus ornatum vidit; Quia nimirum Nepos Nepotem commendat, pejor meliorem, vel potiùs recentior antiquiorem. Tunc enim Marius Chigijs defuncti Pontificis frater, referente *Il. Cardinal. l. 3. p. 3. p. 365.* Equiti Collesio in servitio antehac suo constituto & tantùm annuam 90. scutatorum pensionem habenti tanquam avunculo recens electi Pontificis & Fratri Matris Nepotum dextram cedere coactus fuit, *che sono, addit Author, le solite metamorfosi della corte di Roma; Id est; quæ sunt solite metamorphoses curiæ Romanæ.**

X. Quoad regimen, tempore illo sedis vacantis Marefcalus sedis, quod officium familiæ Savellicæ hæreditarium est, Reipublicæ invigilat, militiam regit, tum multibusque majoribus in civitate avertendis maximè studet. Camerarii etiam tunc magna est autoritas, illi enim cura civitatis quoque incumbit, fabricari monetas suo nomine jubet, & ad necessaria Reipublicæ providenda Conclavi liberè exire potest. Pœnitentiarius autem & ejus officiales ea tantùm faciunt, quæ ad forum conscientiæ pertinent; Interim tamen neque Camerarius, neque Pœnitentiarius, neque etiam Collegium Cardinalium in iis, quæ ad Pontificem Maxi-

Alexandri VII.

Mutatio
respectu
regiminis
Politici &
Ecclesiastici;

num, dum viveret, pertinebant, ullam omninò potestatem, aut jurisdictionem habent, neque gratiam, neque justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare tenentur. Datarii verò ministerium per Pontificis obitum omninò expirat, ita ut non solum datas per eum antea notatas extendendi potestatem minimè habeat: Sed quascunque supplicationes gratiarum & justitiæ, penes eum aut ejus ministros adhuc existentes, etiam si datæ fuerint, Collegio Cardinalium, statim sub sigillo clausas præsentare teneatur futuro Pontifici reservandas; Quod & respectu Cardinalium & Prælatorum signaturæ gratiæ & justitiæ obtinet, dum eorum officia pariter cessare intelliguntur.

Cardinalium sede vacante cura & auctoritas;

XI. Quæ verò, sede vacante, pro defensione terrarum & locorum, statûs securitate ac provisionibus Conclavis faciendæ sunt, à Cardinalibus præsentibus per secreta suffragia ordinantur, qui etiam, si opus fuerit, Governatores & Officiales pro statûs Ecclesiastici regimine eligunt; Et quorum tunc auctoritas ex eo inter alia perspicî potest, quòd Alexandro VII. mortuo, referente Authore *Conclavis* Clementis IX. Ludovicus XIV. Rex Galliæ hodiernus in Congregatione per Legatum *fatte le 3. genu flessioni &c. facta triplice genu flexione, ac si Pontifex ipse presens esset, præstitit debitum obsequium Eminentissimis Dominis Cardinalibus, atque in ob oculos posuit devotionem Regis sui erga sedem sanctam, offerens ejus copias ad ejus, & ad S. Collegii defensionem. Quod & paulò post de Legato Regis Hispaniæ innuit.*

Tumultus in civitate;

XII. Cæterùm civitas illo tempore & dum Roma canit, *L'Ambasc. di Rom. p. 16. Horche vedova son, ò quanti e quanti con Mascare possiccie e labra sozze Vorreber meco celebrar le nozze! &c.* Id est: O quot hypocrite, dum vidua jam sum, nuptias meas appetunt! variis tumultibus, quod ex dictis jam colligitur, est obnoxia; Dimittuntur incarcerati pro levibus causis à Conservatoribus P. R. cæteris ad arcem Hadriani imminente morte transmissis; Regnant scelera, & mox hinc, mox inde alius insurgit; homicidia sunt frequentia; Verbo, vivitur, sicut sine capite solent, & ferè Saturnalia veterum Romanorum reducuntur; vel potius mos obtinet, quem in Persia viguisse ajunt, ubi, mortuo Rege, per triduum cuilibet, quodlibet, liceat. Testis sit *αὐτοῦ* Janus Nicius Erythræus *epist. 68. ad Tyrrenum* ita scribens: *Civitas (tempore hoc Sedis vacantis) sine ullo jure est, sine dignitate Resp.*

Tantus

Tantus in urbe armorum numerus cernitur, quantum me aliàs vidisse non memini. Nulla domus est paulò locupletior, quæ non militum multorum presidio muniatur. Ac si in unum omnes cogerentur, magnus ex eis exercitus inde confici posset. Summa in Urbe armorum impunitas, summa licentia: passim cades hominum sunt, nil ita frequenter auditur, quàm, hic vel ille notus homo est interfectus. Hæc inter Romanos tunc aguntur, qui olim ad electionem ipsi statim concurrebant; Sic ad Vicarii Christi regnum præparantur, in ea confusione sæpe diu, pro ratione nimirum morarum in Conclavi, vivere adiguntur.

XIII. Funebria Pontificis quod porrò spectat, de tota pompa Pii IV. & Gregorii XV. Bullis constitutum est, ut exequiæ novendiales (nempe propter associationem in Angelorum novem ordinibus habentium Chororum, revera autem ad imitationem Gentilis ritûs à S. Augustino improbat;) fiant, & si quando per observantiam alicujus magni & præcipui Festi Cardinalibus officium exequiarum intermitti debere videretur; dies illi sic intermissi in numerum 9. dierum nihilominus computentur, & impensa, quæ in eis pro exequiis facienda esset, inter pauperes Christi distribuatur, utque superfluis quoque sumptibus, qui jam in immensum excreverint, modus imponatur, funus simplicius, quàm consueverit, fiat, ita ut illius ratione (præter Regalia populo Romano præstita) decem millium ducatorum summam pannis lugubribus & regalibus tam Camerarii, quàm Clericorum, ac aliorum Cameralium, quàm aliorum quorumcunque ministrorum & Officialium, ac aliis omnibus computatis, impensa non excedat. Summa autem decem millium hujusmodi, vel, si Collegio visum fuerit, etiam minor, at nullo modo major, per tres Cardinales antiquiores, unum videlicet de quolibet ordine, & Camerarium proportionabiliter pro rata distributionis aliàs fieri solitæ, inter prædictos omnes & singulos dividatur.

XIV. Ista autem conditiones, quamvis minimè duras, non semper observari, vel ex solo Alexandri VII. in Conclavi Clementis IX. exemplo constare potest, ubi multis narratur, quomodo, morte Cardinali Camerario nuntiata, fuerit nuncius con soliti termini di Cortesia ricevuto &c. solitis terminis civilitatis exceptus & cum doloris testificatione erga suam sanctitatem dimissus, tempus & occasio data consanguineis, reliquam supellectilem transportandi & ad palatia sua citò revertendi, quomodo idem Camerarius veste vio-

Funebria
Pontificis

Praxis;
Ex Con-
clavi Cle-
mentis IX.
respectu
Alexan-
dri VII.

lina inductus, comitantibus eum omnibus Cameræ Clericis palliis nigris indutis, Palatium Pontificum ingressus, factis solitis circa cadaver ceremoniis, possessionem nomine Reverendæ Cameræ Apostolicæ universalem occupavit, cadaver apertum & ex usu aliorum Pontificum conditum, & in Ecclesiam S. Petri cum pompa militari transvectum, & Missa quovis die (primo tantum Pentecostes, in quo in caputiis violinis comparere per Festi solennitatem non licuerit, excepto) *per l'anima di Nostro Signore, pro anima Domini nostri* (ita absolute vocant) cantata & magnificum monumentum (quod ibi prolixè describitur, in quo etiam conceptio B. Virginis, quam sine peccato factam esse definierat, depicta dicitur, & cui, præter sumptus Cameræ ordinarios 2. millia scutorum consanguinei impendisse perhibentur;) perfectum, erectum, aquâ benedictâ undiquaque conspersum, simul suffitus factus & oratio in laudem defuncti habita, sicque tandem finitæ fuerint solitæ functiones à Dominis Cardinalibus, *per pregare Requie all'anima del Defonto Pontefice, ad orandam requiem anima defuncti Pontificis*; qui tamen ceu Vicarius Christi & æternæ beatitudinis arbiter tot & tantis ceremoniis non opus habuisse videtur! De osculo pedum Cadaveri etiam figi solito, infra, ubi de osculo pedum, quod adorationis; quæ sequitur, pars est, videatur.

Congregaciones
Cardinalium;

XV. Sed mortuum mortuis relinquimus, & ad antecedentia promotionem successoris propiùs spectantia pergimus. Hic autem primò Cardinales in Congregationibus reperimus; qui à tribus Cardinalibus antiquioribus ex quolibet ordine, & à Camerario congregantur, penes quos quatuor etiam proponendi jus est, sed post triduum aliis relinquendum. In Congregationibus autem non tantum de regimine ad tempus, & de officialibus extra & intra Conclave futuris disponunt, & Legatos Principum audiunt, & de loco Conclavis consultant, sed de ipso etiam successore ordinariò inter se tractant; Congregantur autem sic, vestiti cum rochettis & mozzettis sine Cappa, quod est insigne jurisdictionis in qua succedunt. Sunt istæ Congregationes quasi Ante-Conclavia, hinc etiam lites Conclavium adumbrant. Nam ita legimus in *Conclavi Leonis XI. L'alterationi &c. Alterationes inter Cardinales in congregationibus quasi preparabant ad discordias futuras. In Conclavi autem Alexandri VII. sequentia habentur: Nelle congregazioni &c. In congregationibus, qua quotidie fiebant in Sacello S. Petri, detegebantur ter-*

nimi diuturna durationis Conclavis futuri, quandoquidem valdè clarè apparuit discordia opinionum in D. D. Cardinalibus, & constantia jam determinata in factionibus, qua una quæque suam partem pravalere curare voluit. Sunt nimirum ista principia spirationis Spiritûs pacis!

XVI. Jam verò tempus est, ut plenè spiret, exequiæ novem dierum factæ sunt, satis diu expectavimus Cardinales absentes, illuxit dies undecimus ingressui in Conclave destinatus. Olim quidem etiam primo post mortem prædecessoris die eligebatur aliquando Successor. Vide Baronium *ad an. 418. n. 78. & ad an. 1144. n. 1.* aliquando ipso mortis die. *ad an. 1130. n. 1.* Olim quidem etiam, ut *distinctione 79.* nullus, habetur, per triduum tantum expectandam erat. Quod & in electione Gregorii VII. factum esse apud Baronium *ad an. 1073. n. 22.* memoratur; Sed Glossa, *per contrariam consuetudinem hoc hodie abrogatum esse,* dicit. Expectandum tamen est hodie per decendum, de cujus initio Ant. de Rosellis *Monarch. p. 2. c. 8.* dubium movet, & decidit, à morte censeri debere, & non à tempore scientiæ, & ibidem dubium proponit, an, si Cardinales absentes sint in locis ita remotis, quòd certissimum sit, *infra 10. dies venire non posse: an 10. diebus nihilominus sit expectandum;* Nimirum repetit dubium, quòd Glossa *in cap. ubi periculum.* in verbis: *Decem diebus,* movit, & affirmando solvit, ob eam quoque rationem, quòd forte intellexerant infirmitatem Papæ, unde iter ante mortem inceperunt, & sic intra decem dies poterunt pervenire. Melius tamen idè affirmat, quia quancumque veniunt re integra, id est, ante electionem completam, admittendi sunt, juxta d. c. *ubi periculum. §. sanè. in fine.* possunt autem (ut plerunque accidit infra notabimus) tantum discordes esse Cardinales in Conclavi, quòd magna temporalia laborentur, ita, quòd possent venire absentes, & à vocibus suis non excludi, & pro hoc tex. in c. *comissa de elect. l. 6. conjuncta l. id illa stipulatione si Calendis de verb. obli. & est utilis illa investigatio: quia si ante lapsum 10. dierum Cardinales elegerunt, absentes possent mutare electionem ratione contemptris.*

XVII. Nempe licèt non ultrà 10. dies expectari debeant absentes & sufficiens habeatur electio à præsentibus die undecimo facta, duabus nimirum tertiis, juxta legem Alexandri III. suprà allatam, imò juxta jamjam laudatum de Rosellis *l. c. p. 320. n. 40.* Si duo tantum præsentibus essent & eligerent, (De quo tamen inter Dianam negantem & Bonacinam affirmantem lis est;) vel si unus solus; quamvis unum solum non posse seipsum eligere statuat, quia electio

Dilatio
Electionis
per decem
dies;

Quibus
exactis li-
cet etiam
paucissi-
mis præ-
sentibus
Papam
eligere,

ctio

admit-
tuntur ta-
men post
venientes;

Etio alicujus non debet habere ortum à se ipso *de elec. c. cum in ju-
re &c. per nostras. De jure Patron. & in c. cum ad nostrum de in-
stitu. Et licet, juxta eundem l. c. p. 325. præsentés vocari & admo-
neri non debeant à duabus tertiis, tamen nemo, etiam post. 10. dies
& vel ultimo ante electionem momento accedere volens arceri,
sed semper, proponente eodem p. 327. nisi voci suæ planè renuntia-
verit (nam si propter justam infirmitatem, vel similem causam legitimam
renuntiavit, vel causa est dubia, poenitentem tamen admittendum
esse judicat; De quo casu *Glossa Decr. VI. l. 1. Tit. Vide elect. ad §. hoc
sacro. addit; talem de iis, quæ medio tempore facta in Conclavi, conqueri
non posse.*) admitti debet. Quare etiam in Conclavi quodam re-
gentiori Cardinalis Austriæ ex itinere recens tempore minimè op-
portuno, ipso nimirum tempore scrutini jam cœpti advolans, licet
Magistro Ceremoniæ moras brevissimas suadente, tamen, ne de
ultimo actu primis diebus ageretur, ex ignorantia diuturnitatis
ordinariæ, veritus, pulsare, & de nullitate protestari non destitit,
donec intromissus fuit.*

Studium
maturè
Romam
veniendi;

XVIII. Ipsi tamen absentes curant, ne diu, quoad loco-
rum distantia permittit, expectari debeant, maturè moniti à præ-
sentibus, qui, si vel incipiat periculosè decumbere Pontifex, statim
Creaturis suis per nuntios id significant, eosque (quia sæpe da-
mna in mora vel absentia) ut se ad iter accingant, studiosè hortan-
tur, saltem vix mortuo Pontifice nuntii in varia orbis Christiani
loca ad Cardinalium absentium conconvocationem dilabuntur; Qui
etiam mox advolare videntur, & sæpe vi nuntii mortem ante-
cedentis adsunt ante Pontificis mortem. Duo tantum exem-
pla subjungam. Gregorio XIV. in extremis constituto, juxta
Conclave successoris Innocentii IX. Cardinales Sforza, & Monte,
ille ex legatione in Romania, hîc Florentiâ, adhuc superstitè
Pontifice, accessere moniti, aliis de meliori Papæ statu in iti-
nere novis acceptis, ad Episcopatus suos redeuntibus. Sed maxi-
mè, lethaliter decumbente Alexandro VII. festinationis Cardina-
litæ in casu nostro documenta visa sunt. Narrat quippe *Il Cardi-
nalismo p. 3. l. 3. p. 271. seqq.* ob agonem quasi duorum mensium &
nova de morte ante mortem in ipsa urbe bis sparfa, Cardinales ab-
sentes præcipitasse, *correndo conl' ali ne e' piedi verso Roma, pedibus ala-
tis Romam currentes,* & nunquam tantum studium maturè Romam
veniendi in Cardinalibus apparuisse, ut inde multi mandata &
acres Principum stimulos suspicati sint. Solum Cardinalem Ro-
felli

felli in sede sua Episcopali remansisse, licet de omnium ferè Cardinalium præsentia & agone Pontificis probè edoctum, & vel pedem Romam versus movere noluisse, antequam sibi authentica de exequiis fides in loco facta fuerit, gnarum nimirum fraudis prioris & suspicantem redivivas Pontificis artes olim à Nuncio apud Colonienfes adhibitas, dum nimirum ad certæ resolutionis dilationem tegendam per duos menses agonem simulârit, ter viaticum recipere voluerit, plùs quatuor vicibus Psalmos pro animæ sua cantari curaverit. Nempe veritus est, fabulam Leonis decrepiti, & mortem simulantis hîc agi, & fortè periculum festinantibus imminere, vel Pontificem saltem animos explorare velle. Qui &, narante porrò authore, licet revera morti propinquus, adventu præcipiti tot fratrum intellectu, demum ad eos turbandos simulationem, de qua falsa priùs Roselli suspicio, quamvis in contrarium, adhibuit, meliora & augmentum virium præ se ferens, & Barbarino ad quæstionem, *come si portasse, quomodo valeat!* respondens; *come quelli che giocano all'oca, ut illi qui ludunt lusum anseris;* ita indigitans, quemadmodum in lusu illo, qui mortem attingat, reverti ad initium teneatur, ad eundem modum, se, qui jam in domo mortis degere visus fuerit, ad vitæ initia quasi relapsum esse. Sed, ut dixi, simulatio ista fuit, quam & loquentis infirmitas & mors statim subsecuta detexit, &, ut Author ait, *studium Barbarinum mortificandi* peperit. Sed pessimum hîc est, quòd nonnunquam festinantibus sanitatem, imò vitam eripit, cujus exemplum *Conclave Gregorii XV.* in Cardinale Aldobrandino suppeditat, qui ex incommoditate itineris in tempestate, & postquam quatrinduo Ravennâ Romam venisset, æger è Conclavi egressus vitam cum morte commutavit, Paulo V. in statu altero, se magno studio successorem ei vel se ipsum in Papatu designandi, successorem in morte factum esse, nuntiaturus.

XIX. Olim quoque non inclusi erant in certo Conclavi Electores, sed in diversis locis amplioribus (maximè quoad usque populi suffragia requisita fuerunt;) præcipuè autem post conversionem Imperatorum ad fidem Christianam in Templis majoribus, & Romæ quidem vel in illo S. Johannis Lateranensi, vel in S. Petro, extra Romam verò in aliis Ecclesiis Cathedralibus, vel locis spatiosioribus non inclusi eligebant; Sed numero Electorum pedetentim ad paucitatem reducto, & licentiâ veniendi & redeundi electionem sæpe retardante, tandem Gregorio X. quem an.

*Conclavia
institutio;*

1272. ad Pontificatum electum esse ajunt, adeoque elapsis ab institutione modi eligendi per solos Cardinales circiter 140. annis, in Concilio Lugdunensi placuit Conclave instituire, id est, locum undique, post Cardinalium electionis causa ingressum, clausum ac optimè custoditum, ex quo nisi communis periculi manifesti, vel specialis infirmitatis causâ ante electionem factam illis egredi non licet. In quali loco sub conditionibus dictis primus apud Aretinos an. 1276. primo ingressus, vicesimo primo Januarii die sub vesperam electus fuit Innocentius V.

*Molata
aliquo-
ties;*

XX. Notari autem meretur, leges illas Gregorii X. & Concilii Lugdunensis inclusorias ex eo tempore non continuo ordine observatas, sed ter aut quater irritas declaratas, toties etiam reductas fuisse. Et primò quidem Adrianus V. Innocentii successor leges illas Conclaviarias, licet in Conclavi, in Atrio Lateranensi creatus, licet etiam à Concilio, quod Generale habetur, stabilitas mox revocavit; Quam etiam, quòd à nondum coronato pronuntiata esset, invalidam eo mortuo habitam, sive suspensionem, sive revocationem Successor Johannes XXIII. Conclavis nomen parùm quoque probans, non tantùm tanquam legitimè ab Adriano factam confirmavit, sed & constitutionem contrariam Gregorii modis omnibus annullavit; Et sic Pontifices, qui eum propiùs exceperunt, Nicolaus III. Martinus IV. Honorius IV. Nicolaus IV. & Cœlestinus V. non è Conclavibus prodierunt. Post quos constitutio Gregoriana vindicem habuit Cœlestinum V. an. 1294. electum, qui iisdem cum Gregorio rationibus motus decretum pro ea fecit, quod & Successor Bonifacius VIII. Decretalibus inseruit, nec ex eo tempore inventus fuit, qui contrà egerit, vel contrà decreverit.

*Locus Con-
clavis;*

XXI. Quoad locum, in quo Conclave ex constitutione Gregorii existere debet, ita Onuphrius annot. ad Greg. X. decretum esse ait: *Ut novi Pontificis comitia habeantur loco idoneo, ubi Pontifex precedens cum sua Curia residens, causarumque & literarum Apostolicarum audientiam habens, mortuus fuerit. Quod si in villa, pago aut oppido obierit, & propterea commodè ibidem comitia haberi nequiverint, in urbe, in cujus diœcesi villa, pagus vel oppidum fuerint, habeantur, nisi interdicta sint. Quo casu in proximiorie urbe non interdicta ipsa electio fieri debet. Si vero ipsa audientia alio loco fuerit, tunc non ubi Papa obierit, sed ubi eadem audientia fuerit, futuri Pontificis creatio habeatur. Gregorius X. & Clemens V.*

XXII. Cir-

XXII. Circa hanc constitutionem de loco generaliori quaeritur; *Ubi debeat Conclave haberi, si Papa moriatur in mari?* Et respondet glossa decret. l. VI. l. 1. Tit. V. ad § Porro. *Cardinales in illo casu debere convenire in civitate, per quam locus ille maris distinguatur, & si non distinguatur per aliquam civitatem, debere fieri in viciniore. Secundo quaeritur; Quid de electione judicandum sit, quae facta fuerit in terra interdita, id est, excommunicationi subjacente? Vel in loco alio, quam à jure requisito. Ubi ante omnia ex Glossatore l. c. notamus, in loco interdicto non posse electionem celebrari, id est, qualemcunque. Et nihilominus locum in electione Pontificis nullo modo, neque quoad illum constitutiones n. praec. memoratas obstare, idem cum aliis statuit. Sed audiamus Antonium de Rosellis ista, l. c. p. 336. disceptantem. At primò, videri, quòd ex istis loci irregularitatibus exceptio contra electionem detur, & hoc tenere Gloss. 23. di. in nomine Domini per tex. c. ad hanc & c. quod sicut. de elec. & de ap. c. qua fronte. Postea subjungit Archi. tenere, quòd in quocunque loco facta teneat, dummodò non in coquina vel lupanari ar. l. pe. de justi. & juris. Ipse etiam tandem judicat, bonam esse, etiam in coquina vel lupanari factam. Ad loci interdicti exceptionem specialiter respondet, etiam ibi valere, quia licet in tali loco sit facta prohibitio celebrationis divinatorum, tamen secretà & submissà voce possint nonnunquam divina (ibi) celebrari, ut no. de sen. exco. c. alma. & quia in loco interdicto Clerici sint interdicti quoad locum, non quoad se, ut no. de consue. c. inter vos ita no. glo. in d. c. ubi periculum. §. Porro inversi. interdita. de elec. l. 6. Tertio idem proponit casum duplicem de exeuntibus sine causa plerisque extra Conclave, vel extra diocesim illam, & contra eos pro paucioribus remanentibus, inò unico remanente, pronuntiat. Quia autem Gregorius loci idonei mentionem facit, & alii expressè tutum requirunt, adeoque in defectu securitatis, causa supponi potest, ideo quarto & p. 327. primò remanentibus duabus tertius in loco non tuto, eligendi, in loco tuto autem, dum alter non tutus est, degentibus pluribus, reliquos vocandi, potestatem vocatis obligationem ad obsequium tribuit.*

XXIII. Pergimus jam ad ipsam Conclavis specialio- *Locus spe-*
 descriptionem, & legum ac consuetudinum Conclaviarum ex- *cialior;*
 plicationem. (Si Romae electio fiat, quod à longo tempore sem- *Cellulae*
 per factum) in Capella Sixti I. & in Consistorio Salæ, ordinariò
 in Vaticano Palatio (quod 5500. habitacula 13000. portas & fene-

fratras habet) (dico ordinariò, vide enim lites de loco alio in conclavi Clementis IX.) & si opus sit, in Sala etiam Regia, ædificantur rotæ Cellulæ, quot Cardinales vivunt, latitudinem 20. & longitudinem 22. pedum habentes, & singulæ à singulis unico tantum pede distantes, interjacente exiguo vacuo; Earum quælibet unâ ex Alphabethi literis, quædam, cum hodie longè plures sint Cardinales, duplici, quædam triplici notantur. Dividitur etiam Conclave in æstivum & hybernum, quorum illud, uti necesse est, magis aëri expositum est. In Decretalibus tamen *LVI. l. 1. tit. 6. c. 4. ubi periculum. habetur, nullo intermedio pariete seu alio velamine omnes in commune unum Conclave inhabitare debere.* Onuphrius autem *annor. in Greg. X. lancis pannis distinctas cellulas* constitutioni tribuit, dum hodie *lignæ trabibus* discernuntur, juxta constitutionem Pii IV.

*Earum
distribu-
tio, tegu-
menta, &
constans
earundem
ab iisdem
possessio;*

XXIV. Cellæ istæ forte dividuntur, ita, ut in uno vase nomina Cardinalium schedulis inscripta, in alio Alphabethi literæ ponantur, & singulæ à singulis Cardinalium domesticis extrahantur, atque secundum eam sortem Cellæ Cardinalium nominibus signentur. Qui & aliquando ex sorte & situ omina formare solent, in Cellas sibi assignatas, lectulam, mensulam, alia utensilia & necessaria transportari curant, ac trabes ligneas telâ aut lanâ subtilissimâ coloris viridis, qui à defuncto creati sunt, violini, reliqui obtinent. Quamvis quoad hæc variare & nonnunquam rubrum, aliquando etiam album colorem adhibere soleant. Adhibuit colorem ultimò memoratum in Conclavi Nicolai V. Cardinalis Bononiensis mero singularitatis studio, de quo ita Author Conclavis; *Solamente il Cardinale Bolognese ordinò, che la sua cella fosse accommodata di color bianco, forse perche la mente sua non era nè più pura, nè più retta degli altri.* Id est: *Solus Cardinalis Bononiensis voluit, ut cella sua album acciperet ornatum, sed forte ipsius animus non erat purior aut rectior aliorum animis.* Cellas autem, juxta Constitutionem Pii IV. nec etiam infirmitatis prætextu mutare licet, aut desuper ædificare, vel illas dilatare: Sed quilibet, etiam Decanus, sorte sua contentus esse debet. Hinc cum in Conclavi Leonis XI. S. Cæcilia febris affectus mutare Cellam desideraret, Aldobrandinus regeffit; *Che non dovesse sottopena della scomunica, minacciata della Bolla, che proibiva la mutatione della Cella, etiam con pretesto dell' infirmità.* Id est: *Illud fieri nequaquam debere sub pœna excommunicationis, quam Bulla comminetur, qua prohibeat Cella mutationem, etiam sub prætextu infirmitatis.*

XXV. Inter illos, qui unâ cum Cardinalibus includi possunt, præcipui sunt Conclavistæ, quos vocant; De quibus ita Decretal. Sext. l. 1. lib. 6. c. 4. ubi periculum S. Hoc sacro. Contenti singuli singulis tantum modo servientibus Clericis, vel Laicis, prout duxerint eligendum, illis tamen, quibus potens necessitas id suggerit indulgeri, (Glossa habet: Ut forte quia podagras patitur, itaque necesse habet per servientes sustineri & portari, vel alia causa similis) duos haberi permittimus, eisdem electionis arbitrio (juxta Glossam, ut possit habere, vel vult Clericos, vel vult Laicos, vel alterum Clericum, vel Laicum) reservato. Paulò benignior est Bulla Pii IV. quæ singulis duos servientes Clericos, vel Laicos concedit, infirmis autem & graviter affectis à majori parte Collegii per secreta suffragia tertium ad summum indulgeri posse judicat. Quorum etiam qualitates describit; Servientes familiares domestici, subjungit, & continui commensales ipsius Cardinalis & ab anno ante fuisse, & tunc esse debeant, & nom mercatores, ministri Principum, Domini temporales & jurisdictionem habentes, neque fratres aut nepotes Cardinalium, etiam si expensis eorum vixerent. Et de qualitatibus Conclavistarum Cardinalium deputati ante Conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere, & eos approbare, ac post ingressum denuò diligenter providere debeant. Ex Conclavi Clementis IX. porrò discimus, unum solere esse Ministrum Camera ad servitium, alterum Nobilem ad negotiationem, tres etiam concedi Cardinalibus Principibus, quod ultimum olim non usitatum fuerit.

Simul in-
trant pri-
mò Con-
clavistæ;

XXVI. Conclavistarum horum magna sunt privilegia. In Conclavi Leonis X. Conclavisti fecero congregatione, per dimandare l'essentioni, e prerogative, che sono solite concedersi a Conclavisti. In eodem Conclavi ad Capitulorum suorum conscriptionem invitati leguntur, atque illa à Cardinalibus, post statim subscripta reperiuntur. Eorundemque Conclavistarum contractus ibidem memoratur, quo se invicem obstrinxerunt, ut ille, cujus Patronus eligeretur, reliquis ex ejus Camera solveret 1500. ducatos aureos; Cui contractui suo etiam auctoritatem Notarii Camerae Apostolicæ conciliarunt. Nec fuit pejor conditio Conclavistarum in Conclavi Urbani VII. in quorum favorem ad instantias Cardinalium Protectorum, quos sibi eligere solent, Cardinales sequentia Privilegia subscriperunt: Nos Episcopi, Presbyteri & Diaconi infra scripti S. R. E. Cardinales Conclavistis nostris, qui intra septa dicti Conclavis nobis famulantur, promittimus, quemlibet nostrum concessurum

Eorum
privile-
gia;

& indulgurum omnes & quascunque gratias, concessionis & indulta, tam spiritualia, quàm temporalia aliàs per sel. record. Sixtum Papam V. eisdem Conclavistis in Conclavi, in quo ipse ad Apostolatus apicem assumptus fuit, existentibus concessas & indultas. Insuper & facultates eisdem Conclavistis concessas transferendi pensiones, vel fructuum reservationes usque ad summam scutorum 100. tendantur & amplientur ad scuta 200. similia. Ac insuper quia de presenti major Conclavistarum numerus existit, promittimus & quilibet nostrum promittit loco 10000. scutorum auri in auro, quæ idem Sixtus Conclavistis prefatis donavit, donare & largiri duccatos aureos de Camera novos 12000. Item quòd dicti Conclavistæ non teneantur ad conservationem constitutionis novissima per sel. record. Sixtum V. data super habitu & tonsura per Clericos deferendis, & hoc quoad obtinentes pensionem tantum.

De privilegiis Patrum Tridentinorum querela;

XXVII. Ex ejusmodi autem privilegiis natae sunt in ipso Concilio Tridentino graves querelæ: Per id tempus, inquit Historicus l. VI. p. 503. Praesules Hispani Legatis exhibent petitionem omnium chirographis subscriptam, quâ multis incommodis commemoratis, quæ nascuntur ex immensis gratiis ac privilegiis concessis Conclavistis, revocationem, aut saltem moderationem eorum postulabant. Solens est Cardinalibus, cum ingrediuntur Conclave, in quod includendi sunt ad electionem futuri Pontificis, ut singuli duos habeant ministros, unum tanquam sacellanum, alterum veluti cubicularium. Hos primum eligunt, non tam ut Personis Dominorum, quàm ut negotiationibus inserviant, adeoque usu venire solet, ut optimi censeantur in urbe Roma aulici, non minorem in negotiando, ac suffragiis emendicandis, quàm ipsi Domini partem obtinentes. Unde consuetudo inveteravit, ut egressi Conclavi in novi Pontificis familiam adsciscantur, horumque singuli privilegiis loco ac conditioni cujusvis convenientibus, prout aut Sacerdotes sunt, aut Seculares ornentur. Jam inter privilegia, quæ dari solebant Sacerdotibus, hæc erant, ut, quæ possidebant beneficia, in manus cujuscunque Ecclesiastici ad libitum resignare possent, qui ea conferret in illum, quem ipsi nominabant. Item, ut Sacerdotia sua cum quocunque altero beneficium tenente possent permutare, & ad voluntatem deligere eum, qui in utrumque beneficium conferret; Ab hac facultate aded, immani & extraordinaria nata est aperta beneficiorum nundinatio: aded ut Episcopis, quorum in Diœcesi talis aliquis Conclavista erat, necesse esset, Canonicatus, beneficia parochialia, aliæque magno Ecclesiæ scandalo, ad ipsorum arbitrium permutanda permittere. De his Hispanorum erat querimonia, propter recentia, quæ in Catalonia inde

inde acciderant, incommoda. Sed Legati respondent, harum ac similiarum corruptelarum moderationem ad Papam solum spectare, cujus de familia jam agatur; cumque sepius antea decretum sit, Papæ emendationem aula relinquere, equitati magis consentaneum, suam ei familiam emendam permittere. De ejus tamen abusibus reformatione (uti receperant) ad Pontificem scripserunt. Ille verò Conclavistarum præcipuos Romæ & apud Cardinales commorari ratus, ceteros verò, qui emendandi essent, & paucos esse, nec magni nominis, qui ab aulico strepitu ad sua se subduxerant: tum per rebus suis commodum aliqua parte Præsulibus Concilii, ac Hispanis potissimum, satis facere arbitratus, in hoc decrevit iis gratificari, facta mensæ sequenti multorum privilegiorum illis prius concessorum revocatione, quam successores tamen ejus sequuti non sunt.

XXVIII. Quæ Præsules isti de parte Conclavistarum in negotiationibus non exigua conquesti sunt, omninò ita se habent, & potest, cui lubet, exemplum hujus rei in Conclavi Clementis X. quoad Abbatem Melani, videre, vel suprâ citatum M SS. Italicum periodo: *I Conclavisti*; inspicere. Cæterum quoque juvabit horum rationem tempus in Conclavibus fallendi cognoscere. Uno verbo rident & exagitant sæpissimè actiones Dominorum suorum. In Conclavi Leonis XI. *ragionavano, per passare il tempo ironicamente, & cæ temporis fallendi causâ ironicè ratiocinabantur*, Baronium eligi debere, eum nempe, cum sit homo perfectus, observaturum præceptum divinum: *Diligite inimicos vestros, & benefacite iis &c.* Alii dicebant, Baronium Papam eligi debere, qui, cum melius omni alio noverit defectus & peccata suorum, posset etiam eos melius quovis alio castigare, atque vesperâ illâ satis multa dixerunt, insiguiendo factionem Patronorum suorum Sanctam Unionem, belluam multorum Caputum, hanc Protestantium, illam Catilinariam, & diminuebant cum joci similibus tedium fetidi illius carceris & laboriosi, dum per majorem diei partem debuerunt portare scabella, & præstare alia magis humilia servitia, ad quæ Patroni Conclavistas admittere solent, ut eos multum honorent; Stultos aulicos, qui cum dispendio ambiunt molestias corporis, & semet faciunt lubentissimè togatos faciferos, exercentes artem, quæ tanquam singularis reliquis hætenus non est annumerata Romæ, attamen invidiosè expetita ab aliis, & maximè à * * * * qui Memoriale obtulerunt, quo petiverunt participes reddi privilegiorum, quæ semper promittuntur, raro conferuntur miseris Conclavistis. Ita describit miseriam, sed paulò post redit ad ludibria, nempe, factâ exclusionis Baronianæ mentione, subjungit: *Conclavisti*

Conclavistarum auctoritas, tempus fallendi modus, & cum iis qui extra Conclave degunt, loquendi ars;

sti se ne prendevano &c. Id est: Conclavista ludibrium eâ occasione habebant, & ob velocitatem nimis audacter vocabant Magistrum cursorum. Addam his lusibus Conclavistarum ænigmaticæ, quâ erga eos, qui extra Conclave degunt, nonnunquam utuntur, loquendi rationis exemplum. In eodem Conclavi narratur, *che il Conclavista di Baronio &c. Conclavistam Baronii enigmata parùm enigmatico voluisse apud rotam significare notis suis, Baronium habuisse 30. vota, atque in eum finem ab illis foris degentibus petuisse 30. Candelas, quod Conclavista alii occasionem dederit, statim subjiciendi: Sic quasò, curate ut mittantur, agitur enim de exequiis Patroni vestri.*

Sunt Authores
Conclavium plerorumque;
Quorum relationes imperfecte;

XXIX. Idem Conclavistæ sunt plerunque Authores Conclavium, quæ habemus in unum volumen compacta & an. 1667. Italicè edita, numero 32. à Clemente V usque ad Clementem IX. non tamen, quoad initium, ordine continuo. Accesserunt his Conclavia Clementis IX. & X. Conjecturæ viri, Aulæ & rerum Romanarum peritissimi, statim post mortem Clementis X. respectu mox futuri Conclavis editæ; Ut autem istas conjecturas ad manus heic non habeo, ita multò magis mihi perfectæ Innocentii XI. & Alexandri VIII. Papæ hodierni Conclavia defunt; Ajunt autem, demum post mortem cujusvis Pontificis edi, de transmissione antehac rogati. Jam verò metum severi Inquisitionis Tribūnalis prætexunt denuò rogati. Quia autem ex istis quæ ad manus sunt, Conclavibus (quatenus vox fumitur pro iis, quæ in Conclavibus acciderunt) hucusque multa citavimus, plura in sequentibus contra Electiones Pontificum inde prolaturi, idèd haud exiguum operæ pretium erit, si distinctiùs in Authores & autoritatem illorum scriptorum (ut jam ab initio hujus tractationis polliciti eramus;) hâc occasione inquisiverimus. Eorum nomina ignorari non est mirum, quum omnis ejusmodi scripto lege sit vetita. Fidem omnium, quæ narrant, præstare non est nostrum; fieri potest, ut quædam aliter narrent, quàm prout contigerunt; verisimile est, eos nonnunquam conjecturas potiùs suas, quàm verò certam actorum scientiam secutos esse; Et quando diversi eadem Conclavia (Author Cardinalismi testatur, se legisse 5. Conclavia unius Innocentii X.) diversè descripserunt, necessariò in quibusdam ab una aut altera parte error est. Non sine causa idem Author multa Conclavia maximæ confusionis accusat; Quamvis illud quoque negari non possit, impossibile esse, ut res tam confusæ accurato ordine recensentur; Haud magis negari potest,

potest, profunditates illas negotiationum difficulter, imò à nemine, perfectè penetrari; Tractatus Conclavium esse, juxta eundem Authorem, duplices, secretos & publicos. Non omnes omnium arcanorum esse participes; externam apparentiam sæpe fallere; imagines Conclavium, teste eodem, habere pedes, & non ambulare, oculos, & non videre, aures, & non audire, linguas, & non loqui; multa partim cæcè fieri & sine causa, quæ ex post facto fingatur, partim ex alia causa, quàm quæ sæpe fingitur.

XXX. Interim tamen non omnem istis Authoribus auctoritatem derogari patimur; Quos primò Pontificios, secundo aliquando Cardinales, Conclavistas aliquando, adeoque tertio negotiationum multarum semper partim actores, partim spectatores fuisse, ambigere neutiquam licet. Ipsosmet audiamus, & primò quidem Authorem Conclavis Gregorii XIV. Ita ille de se loquitur: *Io che son stato &c.* Ego, qui sui si non omnium particeps, saltem spectator magna istius actionis, & occasionem habui intelligendi & investigandi specialissima etiam eorum, qua contigerunt &c. Loquatur etiam Author Conclavis Clementis VIII. Ita orditur ille: *Con tutto, che io non sia stato &c.* Quamvis non fuerim ex primariis in Conclavi presente, nihilominus quia sui curiosus investigator & spectator negotiationum in illo factarum &c. Nec frustra fortè auctoritatem operi suo conciliare nititur Author Conclavis Innocentii X. cujus tale exordium: *Veramente non si trovò mai &c.* Perfectò nullum Conclave usque aded excitavit curiositatem Curie, ad investigandas cum omni diligentia artificiosas molitiones, quemadmodum illud, ex quo prodiit Innocentius X. Hinc est, quòd multi Scriptores, ut satisfaciant iteratis precibus amicorum suorum, mundo publicare voluerunt negotia Conclavis illius; Sed, quòd pessimum est, multi defectu notitiæ rerum necessariorum, curiosarum & ad substantiam pertinentium, tantùm circumvagati sunt in contemplatione quarundam narrationum, quæ quidem in foro fuerunt, sed non in Conclavi. Illi successus, qui sunt satis reconditi & noti paucissimis Cardinalibus, qui illos integrè publicare nolunt, difficulter ex fundo veritatis accipiuntur, sine lumine, quòd ipse dextrè emendicavi à tali, qui certè plene de omnibus informatus fuit. Et ut possim uti methodo ipsius in rebus, quæ acciderunt &c. Quis præter alios Scriptor Conclavis illius fuerit, ex Conclavi Alexandri VII. cognoscimus, ubi causa inimicitiae inter Cardinales Spadam & Rapacioli statuitur, quòd hic scripserit Conclave Innocentii; Et ut Author Conclavis Alexandri ab una qui-

Non ta-
men nul-
lius pon-
deris;

dem parte ingenuè operis difficultatem fatetur, ita exorsus: *Quanto è grande &c. Quanto major est curiositas legentis, tanto major est difficultas scribentis accidentia Conclavis. Difficiliter veritas reperitur, ubi eam abscondere conantur consilia hominum: In Seraglio Conclavis quidam tantum radii solares, obscura loca illa redduntur, ut sol impediatur &c. Ab altera verò parte amorem veritatis egregiè præ se & Authore illo altero fert, dum occasione illius alterius ait: L'odio &c. Odium & amor sunt venenum historia, sed cadaver est sine veritate, ut aliquis modernorum dixit, amor & odium tollendo ipsam virtutem, eam vita privant. Et paulò post de Cardinale Rapacioli Authore Conclavis Innocentii; malè habuisse multos, quòd publicaverit, quæ mala ipsorum electionem secuta fuissent; perche quei medesimi &c. quia ibi ipsi, qui honores negligunt, volunt tamen iis digni videri; & reperiuntur quidem, qui imperia recusent, sed qui velint incapaces haberi ad illorum administrationem, nequidem Diogenis lucerna investigantur &c. Sed & Author Conclavis Clementis IX. fontes suos ostendit, & ille, qui Conclave Clementis X. scripsit, conatus suos approbat, atque ita omnes isti de se testantur, ut etiam testimoniis exacta plerorumque commemoratione, & ad cognitionem Curiaæ sæpe iterata pro-
vocatione certam fidem faciant, præsertim quando nunquam repertus fuit, qui, ejurato omni pudore, istud, quod tradunt, consiliorum & affectuum humanorum in electione Pontificum regnum apertè negare ausus fuerit; Testatur etiam Lud. à S. Carolo l. 2. Bibl. Pont. p. 291. Romæ M. SC. aliquot Conclavia in Bibliothecis Vaticana & Barbarina servari; Quibus electiones sanctiores describi haudequidem arbitror. Et quando, ut dixi, & dixerunt ipsimet, omnia exactè penetrare non potuerunt, eò magis ex ungue, qui ab ipsis ostenditur, Leonem cognoscere licet, καὶ ἐν τῷ κρηναίῳ τοῦ ὄφρασμα. Sed pergamus ad reliquos in Conclave cum Cardinalibus ingressuros Ministros.*

Cardinalium in Conclavi sortium ministrantes alii;

XXXI. De illis ita loquitur citata Pii IV. Bulla: *Sacristæ quoque cum uno Clerico adjutore in officio Sacristæ, duo quoque Magistri Ceremoniarum Conclave ingrediantur, Missis celebrandis & aliis, quæ ad ipsos pertinent, vacaturi. Adsit præterea unus Religiosus pro Confessionibus audiendis à majore parte Cardinalium per secreta suffragia eligendus, unus Collegii Secretarius, tantum duo Medici, unus Chirurgus, unus aromatarius cum uno, aut duobus servientibus. Item octo aut decem servientes publicæ utilitati & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrendo Conclavi & similibus necessariis ministrandis, qui*

omnes à Collegio Cardinalium, non tamen ex familia alicujus Cardinalis per fabas secretas eliguntur, ita tamen, ut is obtineat, qui plura vota tulerit, & eis salaria de publico persolvantur. Quòd si ultra prefatas personas in Conclavi aliquis inventus fuerit, expelli statim debet. Et si quis usquam se occultasse deprehendatur, ignominiosè expellatur, & infamiâ notetur, & officiis atque beneficiis privetur: Confessii verò sub eadem pena illos Collegio revelare teneantur, premium reportaturi, si indicaverint.

XXXII. Ingressantur jam in locum ita hætenus descriptum, cum comitibus hætenus memoratis. Ingressiuntur, ut dixi, undecimo post mortem Pontificis die, hoc ordine: Primò valedicunt Cardinales Domesticis suis; qui celebrare possunt, Missam dicunt; Mox omnes in Basilica S. Petri conveniunt, ubi Decanus Missam cantat, & qui non celebrârunt, communicant; Finitâ Missâ, Prælati, cui id muneris à Camerario impositum est, orationem de eligendo Pontifice recitat. Quibus ita peractis, Clericus Ceremoniarum, loquor ex Ceremoniali Conclavis à Gregorio XV. editi, capit crucem Papalem, & præcedit, quem Cardinales sequuntur, Episcopi primùm, deinde Presbyteri, postremò Diaconi, cum suis cappis & violaceis. Crucem præcedunt familiares Cardinalium, & immediatè Cantores (hymnum; *Veni Creator Spiritus*; cantantes.) Post Cardinales sequuntur Prælati, atque ita processionaliter procedentes, Conclave ingrediuntur, & cum ad Capellam S. Nicolai, al. Sixti IV. pervenerint, Cardinalium Decanus apud altare dicit orationem (*Deus, qui Corda fidelium*) quâ finitâ, leguntur & jurantur per Cardinales constitutiones de Rom. Pontificis electione, & speciatim *constitutio Gregorii XV.* Deinde Cardinales post sermonem habitum per Decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium ritè & rectè peragendum hortatur, ad cellas sorte inter eos, juxta Constitutionem Pii IV. distributas divertunt; Et post prandium omnes simul congregantur, & Officiales Conclavis & alii præstant S. Collegio jura consuetæ.

Ingressus
in Concla-
vum;

XXXIII. Non tamen statim post ingressum omne commercium cum foris degentibus sublatum est, sed ingrediuntur illi liberè, maxmè Regum Legati, Principes, Prælati & Primores alii, partim animum testaturi, partim etiam expressè pro suis & suis partibus faventibus negotiaturi, idque in multam usque noctem, & sæpissimè vix tandem à lateribus Cardinalium, interpositis ad-

Libertate
primi
diei, quo
ad introi-
tum;

monitionibus, protestationibus, avelluntur; Licet Gregorii XV. Ceremoniale, quo tempore exire debeant, definiverit, dum ita ibi legimus: *Conclave post per jussu Cardinalis Decani personatam campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, secundâ circa secundam, & tertiâ circa tertiam, exclusis omnibus, qui in Conclavi remanere non debent, intus & extra claudatur.* Sed & accidit, ut nec primo die, nec prima nocte clausum fuerit, nempe in Conclavi Alexandri VII. ob multitudinem Cardinalium, iisque fervientium, Quæ moræ ibi Hispanis multum utiles, Sacchetio contra valde noxiæ dicuntur.

*Quam ex-
cipit ne-
cessitas
exerendi
respectu
illorum,
qui adesse
non de-
bent, nec
licet apud
Conclave
habitare,
vel mora-
ri;*

XXXIV. Tandem tamen omnes, exceptis Cardinalibus & Ministrantibus, exire coguntur, imò omnibus aliis apud Conclave habitare, vel morari prohibitum. De quo ita sonant verba in Bulla Pii IV. *Post Conclavis verò ingressum interdiximus & expressè prohibemus sub officiorum & beneficiorum privationis pœna, atque etiam sub alia arbitrio Gubernatoris ad custodiam Conclavis deputari soliti infligenda, ne quis immediatè supra aut infra Conclave, seu à lateribus habitare vel morari possit. Quæ loca muris claudi, & à præsentibus custodia Conclavis & à dicto Gubernatore sapiens visitari debeant. Et si quæ fraus commissa fuerit, teneatur ipse Gubernator sub perjurii pœna eo ipso incurrenda, & alia arbitrio futuri Pontificis infligenda, delinquentes hujusmodi Cardinalibus pro tempore deputatis revelare, curarèque, ut delinquentes ipsi carcerentur & acriter puniantur.*

*Clausura
Concla-
vis, & in-
strumen-
tum de ea;*

XXXV. Ipsum Conclave optimè undiquaque clauditur quatuor portis, ita muro vallatum, ut nemo introire possit, solummodò fenestrella in foramen rotæ facta ad servitium epularum destinata aperta relinquitur; Et extra tempora tabulæ & intrâ & extrâ non solum ferrata, sed & sigillata est, & à certis quibusdam ad hoc destinatis personis custoditur; Quarta ex quatuor portis propriè porta Conclavis est, & quatuor Clavibus aperiri debet. Quarum duas illi, qui foris sunt, habent, unam ad portam, alteram ad Fenestram, duo nimirum præcipui Prælati, Claves verò duas reliquas in Conclavi habent Magister Ceremoniarum, & omnes quatuor ad aperturam concurrere debent. Insuper quoque porta intrinsecus telâ obtegitur, ne fenestrella aperta ab ullo ex intus degentibus videri possit; Cæterum & intus cuiusvis Cameræ ferè sua fenestrella est. Ubi verò ferratum est Conclave, Ceremoniale Gregorii jubet, *ut accensis funalibus tres Cardinales, capita ordinum & Ca-*

merarius unâ cum Magistro Ceremoniarum latebras & angulos omnes Conclavis diligenter perquirant, ne quis ex iis, qui esse in Conclavi prohibentur, intus remanserit. Quâ scrutatione peractâ, in testimonium bonæ serraturæ prodit publicum instrumentum à Magistris Ceremoniarum compositum. Post huiusmodi documentum autem, ut habet Cæremoniale Gregorii, etiamsi Conclave in totum, vel pro parte de facto apertum fuisse reperitur, semper tamen clausum & pro clauso censeri debet ad effectum validitatis electionis, donec de consensu duarum partium Cardinalium presentium per secreta suffragia apertum esse declaretur. Hec tamen declaratio electioni, quæ ante ipsam facta fuerit, nullatenus præjudicare debet, neque ob ipsam declarationem præcedens electio impugnari potest.

XXXVI. Atque ita intus degentibus omnis occasio cum extra constitutis communicandi abscinditur. * Colloquia ita verat Bulla Pii IV. Clauso Conclavi, nulli ad colloquium etiam extra portam Conclavis, etiam Principum Oratores, nisi ex magna & urgenti causa à majori parte Collegii approbata admittuntur. Et si quis forte (quod absit) clam ipsum Conclave, & aliunde quàm per ostium ingredietur, omni honore, gradu & officio & beneficio ipso facto privatus existat, & tradatur curiæ seculari acerrimis pœnis puniendus. Qui autem per ostium in certis casibus intromittuntur, illis regressus non datur, quod exemplo etiam in Conclavi Leonis X. nato constat, cum enim ad secundum ei, qui adhuc Cardinalis Medicæus erat, apostema Chirurgus intromissus esset, non permittum ei fuit rursus exire, licet petenti. Literas & signa Bulla ita verat: Literas verò, aut cujusvis generis scripta ad eos, qui in Conclavi erant, seu nuncium, vel votum, aut signum mittere seu recipere, aut contrà, è Conclavi ad eos, qui foris erunt, nullo modo liceat: qui contra fecerint, quacunque dignitate, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, pœna excommunicationis lata sententia subiaceant, absolvendi facultate, præterquam in mortis articulo soli Pont. Max. reservata, à quo nihilominus pro qualitate delicti ultra dictam excommunicationis pœnam puniendi erunt. Non autem ita exactè observari commercii colloquiorum ommissionem, & tamen nonnunquam impediri, tum ex candelis Baronianis supra memoratis, tum ex exemplo, quod Conclave Leonis X. suppeditavit, apparet.

XXXVII. Sed & epulæ inspiciuntur, ne literæ, notæ vel signa unâ cum eis intus Conclave mittantur; Quem in finem ita

Communicatio cum extra degentibus prohibita, tamen nonnunquam instituitur, aliquando etiam impeditur;

Persecutio ciborum;

citata Bulla se habet: Pralati quoque ad custodiam Conclavis deputati sub pœna perjurii & suspensionis à Divinis, maximâ & exquisitâ diligentia utantur in inspiciendis ac perscrutandis epulis, & aliis rebus, ac personis Conclave intrantibus & de eo exeuntibus, ne sub rerum earum velamine litera, aut nota, vel signa aliqua transmittantur. Quod si tale quid inventum fuerit, familiares Cardinalium, aut alii delinquentes pœnam privationis officiorum & beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta & obrinenda incurrant; Et ulterius per Gubernatorem carceribus mancipentur, exinde nisi mandato novi Pontificis minimè relaxandi: sed ejus arbitrio acrius puniendi, omni facultate Collegio Cardinalium in favorem quorumcumque, qui in premissis, vel eorum aliquo deliquerint, omninò interdicta. Eisdem sollicitudini adscribendum, quòd vinum & aqua tantum in vasibus vitreis intus accipiuntur. Exactæ verò observationis documentum singulare in Conclavi Clementis IX. occurrit; Ubi tamen etiam de epistola non lacerata agitur.

Egredi ante electionem factam non permittitur; Mos primo die exeundi sublatu;

XXXVIII. Ipsi Cardinalibus (qui omninò, juxta Bullam etiam Pii IV. intrare tenentur, extra casum infirmitatis verò foris manentes constitutionis Gregorii X. pœnam (quæ juxta Decr. 6. l. 1. tit. 6. c. 4. §. Hoc sacro. in eo consistit, quòd ipso minimè requisito, nec in ejusdem electionis negotio ulterius admittendo per alios ad eligendum summum Pontif. liberè proceditur; incurrunt;) extra infirmitatis etiam casum & ante electionem factam egredi minimè permittitur. Solebant quidem Cardinales olim, ut ex Conclavi Gregorii XIII. discimus, primo die exire, neque ante vesperam redire; Verùm, ut ibidem narratur, ob tentatam tunc ab amicis Moronis adorationem ejus, & quia Bulla Pii IV. vult, ut ingredientibus sine mora aliqua, omisâ Capitulorum consecutione primis diebus fieri solitorum, in electionis negotio procedant, & singulis diebus scrutinium fiat, & in primo scrutinio etiam accedere liceat; quamvis à longo tempore scrutinium primo die nunquam factum sit; tamen in sequente Sixti V. Conclavi memores præteritorum atque potestatis nulli primo die exiverunt, ob novas etiam quorundam molitiones. Quorum quoque in sequente Urbani VII. Conclavi memores perhibentur.

Agri tamen exire & redire licet;

XXXIX. Agri solis exire & redire permittitur. Sic præter alios aliàs ex Conclavi Leonis XI. exiit Cardinalis Sfondrata, quamvis egressum, cum jam rhedæ & lectica in promptu essent, aliquandiu distulerit, & il pareva &c. Et videbatur, inquit Author, Medicos, sive quia ita persuasi erant ab iis, quorum intererat, sive

sive quia viderant mali declinationem, remedium adhibuisse humori peccanti; quare etiam mansit, forte, ut factioni suae non displiceat, neque utatur ponte aereo, quem ei nimis civiliter fabricare volebant adversarii. Eodem infirmitatis privilegio etiam usus est Cardinalis Spada, ex Conclavi Alexandri VII. egressus, de quo Cardinalis Montaltius faceret dixit: *Il solo odore &c. Solus odor Papatùs agrum fecit Spadam, quanto igitur malo afficeretur, si eum planè comederet?* Si verò Cardinalium in Conclavi degentium proximi etiam, in extremis etiam, jaceant, ipsis tamen ad eos exire non licet, quod exemplo Antonii Card. Barbarini, cui, utut valde petenti ad matrem moribundam egredi in Conclavi an. 1644. copia nulla facta est.

XL. Bis Cardinales omnes ante electionem Pontificis egressos esse reperio. Primum post Martini IV. mortem, cui tandem An. 1288. nimirum Nicolaus IV. successit; Egressi autem sunt A. 1287. morborum maxime, (quibus unius septimanæ spatio 5. præcipui Cardinales consumpti fuerunt;) & terræ motuum respectu; sed mense Martio anni sequentis denuò cum fructu congregati sunt. Alterâ vice post mortem Benedicti IX. a. XI. discordiæ maxime intuitu Conclave reliquerunt, *andandosene &c. abeuntes*, ut Author Cardinalismi p. 3. l. 1. p. 77. ait, *extra civitatem, hic huc, ille illic, in loca delitiosa, quærentes gaudia & voluptates, & de omnibus aliis potius quàm de Papa creando cogitantes*; Sed populi Perusini armis collecti tandem Clementem V. qui sedem in Galliam transtulit, elegerunt. De egressu multorum, vel plerorumque jam supra egi. Hæc addo judicium de Rosellis: *Mon. p. 2. p. 328. de egressu multorum, compellendos videri, dicit, quia juxta legem forte possint alios in suam sententiam pertrahere, & quia ratio, qua omnes compelli debere velit, etiam de multis obrineat*; ipse tamen tenet, non esse aliquos compellendos, quia, quò paucior numerus, hoc major concordia, & invitus ad electionem non cogi, sed voci juxta legem renuociare possit, & magis scandalum excitaret ingressus, & non dicatur intrasse, qui non usque in finem steterit, denuò juxta legem. De egressu omnium ita cum eodem de Rosellis p. 2. c. 8. p. 327. 25. &c. statuunt: *Si notorium aut evidens sit periculum, & impressio vel metus ab altero, quàm à Domino civitatis, in ejus territorio debet fieri electio, tunc ipsum Dominum, si possit, per se debere metum illum reprimere, & si non possit per se, tunc debere convocare brachium & auxilium vicinorum & aliorum, qui tutum facerent, argu. 23.*

Bis omnes egressi ante electionem; De egressu multorum, & omnium

quæst. 2. Dominus. Cod. de judi l. properandum §. si autem. Et in cap. i. de brev. & pa. Et si nullo modo possit locum tutum facere, vel non velit, vel metus sit ab ipso Domino loci ipsum inferente, & notorius, tunc, si omnes Cardinales sint concordēs, posse concordare de alio loco tuto 78. di. c. Si quis pecuniam. & valere concordationem, quoniam hoc casu ipsi propter periculum, quod imminet, habent jurisdictionem Papæ: Ut in d. decret. ubi periculum & Cle. ne Romani. statuatur. Si autem causa non sit notoria, esse per Dominum temporalem civitatis, ubi fieret electio, ad reintrandum compellandos: & si non sit potens ad compellendum, tunc vicinos Dominos, in quorum dominiis aufugerint, debere eos ad loca, ubi electio fieri deberet, remittere, ut no. glo. in d. Cle. ne Romani. in verbo diœcesis. Quæ etiam in constitutionibus Gregorii X. apud Onuph. annot. in Greg. X. Plat. fundata sunt.

De egressu
Conclavistarum;

XLI. De Conclavistis & aliis, præter Cardinales, discedentibus, ita Pii IV. Bulla de Conclavi statuit: Conclaviste verò & quicumque alii servientes, Conclave ex causa infirmitatis manifesta & notabilis, à medicis medio juramento probata, & de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam desuper oneramus, & non aliter exituri, nullo modo reverti possint: Sed eorum loco alii, eodem prorsus tempore, quo infirmi exhibunt, ingrediantur. Videtur autem ita ad infirmitatem Conclavistarum & aliorum ministrantium egressus restringi, ut nequidem ob mala facta ejici quis possit; Quod confirmatur exemplo Abbatis Melani in Conclavi Clementis X.

Custodes
Conclavis, juxta
Onuphrium,
& morem
hodiernum;

XLII. Ut autem ista omnia observentur, & Cardinales tuti sint, beneficio illorum, qui Conclave custodiunt, fit. De quibus ita apud Onuphrium l. c. legitur: Ut locus & portæ Conclavis diligentissime custodiantur; Si Romæ electio habeatur, primum à Prætorianis, deinde à Regulis & Oratoribus Principum Sacramento prius adstrictis, demum in loco ostio Conclavis proximior ab Episcopis & Conservatoribus Urbis; Si autem extra Urbem Comitia hæc habentur, à loci ejusdem Dominis temporalibus eodem juramento fidelitatis obligatis. Quorum munus est, Conclave custodire, & diligenter cavere, ne quid Conclavi inferatur, seu exportetur, quò minus legitima suffragia ferri possint, atque singula scrutari, quæ vel cibi, vel alterius rei causa inferuntur ad eos, & providere, ne quid detrimenti patiantur Cardinales, omnibusque ipsorum nutibus præsto esse, ac eligere Pontificem differentes ad maturandum archære. Milites verò Prætoriani, ac Reguli Romani Conclave ab omni impressione tutum reddere debent. Hodie quatuor sunt Portæ, quarum secundam

cundam dicti Conservatores Romæ custodiunt, atque neminem nisi tempore cibo destinato intromittunt; Apud tertiam eminet sedis Marescallus, Gubernator Burgi, quod officium Familiæ Savellicæ hæreditarium est.

XLIII. De cibo quoque leges latæ sunt; Et quidem ita Leges cibaria;
 Gregorius X. in Concilio Lugdunensi 6. Decr. l. i. tit. 6. c. 4. §. hoc Sacro. decrevit: *Si (quod absit) intra 3. dies, postquam (ut prædicitur) Conclave præfatum iidem Cardinales intraverint, non fuerit ipsi Ecclesia de Pastore provisum: per spatium quinque dierum immediatè sequentium singulis diebus, tam in prandio, quàm in cæna, uno solo ferculo sint contenti, quibus, provisione non factâ, decursis, ex tunc tantummodo panis, vinum & aqua ministratur eisdem, donec eadem provisio subsequatur: Ubi Glossa addit: Not. hic, quòd electores nolentes eligere, possunt cogi etiam tormentis tex. est hic juncta. glo. in Cle. i. de hæreti. Phil. Fonta. (partem quoque hujus dicit Onuphrius annot. in Greg. X. Plat. verbis sequentibus: Ut post triduum ingressus Conclavis nisi Pontifex renuntiatus fuerit, Episcopi, Reguli Romani, & qui Conclavis custodie præfunt, maximam in epulis & cibis, qui Cardinalibus inferuntur, rationem habeant, & illis non nisi ferculum unum inferri permittant. Sed adhuc durior est, quoad initium Bulla Pii IV. quæ ita legem cibariam exponit: Cardinales primo ipsò die, quo Conclave ingressi fuerint, tam in prandio, quàm in cæna uno solo ferculo, unius speciei tantum eoque moderato & aliàs juxta constitutionem præfati Clementis VI. (quam ad manus non habeo) qualificato contenti sint & esse debeant, nec quisquam in alterius cella, vel de alterius ferculo vescatur. Rigorem auget, quòd additio 6. Decr. l. i. tit. 6. c. 4. §. ubi periculum ista habetur: Quid, si unus velit unum ferculum, alius aliud; puta unus vult carnes bovinas, alius capones, alius perdices. Dicunt Doctores, quòd est administrandum unum solum ferculum omnibus, & non sunt eis administranda diversa fercula, quia aliàs posset fieri fraus. Nam ipsi sibi ipsis ministrarent diversa fercula.*

XLIV. Quoad observationem harum constitutionum Quomodo observentur;
 Conclavia tantum sequentia exhibent; In Conclavi Clementis V. supra quoque memorato Perusini præsidium non tantum posuerunt, ne rursus dilaberentur Cardinales, sed & ad electionem maturandam alio remedio usi sunt, *riducendo il lor mangiare &c. riducendo cibum illorum ad modum moderatum, atque iis comminando, si Electionem paucis diebus non absolvissent, se iis nihil præter panem & vinum permissoiros esse; Quod etiam remedium tunc juvisse eventus docuit.*

In *Conclavi Nicolai V.* simpliciter consuetudo & constitutio illa innuitur, juxta quam primis quinque diebus *Conclavis fosse lecto &c.* licitum esset habere omnis generis cibos, atque illis elapsis unum duntaxat ferculum assum vel tostum pro lubitu, & si intra tempus illud non crearent summum Pontificem, ipsis assignata esset nonnisi quadam portio panis & vini. Quæ consuetudo & constitutio à singulis n. *præced.* allatis differreprehenditur. In recentiori verò *Clementis IX.* *Conclavi* tantum innuitur, constitutionem de solo pane & vino post diem tertium fuisse mitigatam ad *patinam unam, quæ conficere debeat prandium integrum.* Ex quo partim silentio de datis unquam, tot habitis occasionibus, pane & vino tantum, partim mitigationis indicio, factis colligi posse arbitror, durantibus licet per plures dies plerisque, imò multis per unum & alterum mensem, *Conclavibus, Bullarum* rigorem nunquam observari. Nec etiam videtur illud de eodem omnibus ferculo administrando judicium observari; *Quamvis* rigor talis multum omnino prodesse & electiones valde maturare posset. Interim tamen constat, in *Conclavibus* degentes haud parum infra *Majestatem* aliàs in hac etiam parte ostendi solitam, & luxum suum subsistere debere.

Lex vestiaria, Singularitates quadam respectu vestium;

XLV. *Quod verò attinet ad vestes, sunt verba Cæremonialis Gregorii XV. non solum cum ad electionem Cardinales procedunt, croceis uti debent, sed juxta vetus Cæremoniale, cum aliquid Collegialiter agendum est. Afferam hic 2. vel 3. singularitates, quas apud Authores Conclavium recentiorum reperire datum fuit, vestes respicientes; Unus, ille nimirum, qui Conclave Alexandri VII. scripsit, jam ab initio monet Lectorem, non debere à se expectari minutias quascunque, quæ tunc acciderint, le Maschere &c. larvarum per quadragesimam continuationes, cum quibus Cardinales se invicem inviserint. Alter, Scriptor nempe Conclavis Clementis X. sollicitè Bullionæum Cardinalem defendit contra illos, che pretendino &c. qui pretendant, eum noctu portasse calceos alla spagnuola; ex hoc fundamento: Nunquam eum sic vidi, ast nunquam ex cella egredi potuit, ut eum non viderim: Semper portabat calceos altos in calcaneo alla Francesè, cum rosis alla moda. Idem author Cardinalem Retzium excusare videtur, qui noctu larvam per Conclave portasse dicatur, dicendo, fuisse aliquid larvæ simile!*

Transitio ad actiones in la-

XLVI. Satis jam de loco, de sociis ministrantibus, de commercii cum exteris privatione, de manendi necessitate, de legibus cibariis

cibariis & vestiariis diximus; Appropinquemus magis ipsis Cardinalium in loco & statu hæctenus memorato actionibus, eligendi rationibus. De loco, unicum adhuc monuisse contenti, nempe deliberationem de Electione hodie regulariter fieri in Capella Paulina, electionem ipsam in Sixtina, in qua super altari monstrari ajunt nobilem illam Michaëlis Angeli Bonarottæ de judicio supremo picturam; Illam fortè, in qua Cardinalis quidam pictori exofus & proin ad sinistram ad vivum depictus juxta votum suum à Pontifice potestatem suam ad infernum se extendere negante liberari ex ignominia non potuit.

XLVII. Post actiones autem, quæ ingressum proximè expicientes jam suprâ à me indicatæ sunt, primum est, quòd Cardinales præter capitula, quæ ad favorem Conclavistarum spectantia suprâ quoque notavimus, si opus esse judicent & velint, quædam capitula alia & quasi leges quasdam futuro Pontifici scribunt, atque aded unusquisque eorum, in se earum observationem, si fortè contingat, ut ipse eligatur, recipit. Quam consuetudinem aliquid juxta voluntatem Collegii juramento confirmandi *Vita di Sisto V. p. 1. l. 5. p. 347.* à 200. annis, sed modo diverso obtinuisse ait; Et cui Onuphrius quoque *annot. in Clem. V. Plat.* attestatur: *Patres, inquit, Conclave ingressi diem integrum sequentem formandis legibus impendunt, ad sanam Romani Pontificis administrationem maximè necessariis: quibus Patrum quisque subscribens jurejurando votoque promittit, obtemperaturum se illis, si Pontifex fuerit factus.* Exempla vide in *Conclavi Pii IV. & in Vita Sixti V. l. c.* Sed etiam *Dissert. VIII.* quàm parùm ejusmodi Capitula & juramenta curent.

XLVIII. Perventum jam est ad ipsos electionis actus, sive modos, quorum in forma illa quarta electionis per solos Cardinales quatuor, vel tres sunt. Si quatuor ponimus, per *scrutinium*, per *accessum*, per *adorationem*, sive *inspirationem Spiritus S.* & per *compromissum* Papas eligi dicimus; Si verò tres constituimus modos, illum per *scrutinium* dividere debemus ratione *scrutiniij simplicis & cum accessu* conjuncti. Cùmque ista omninò differant, & scrutiniij saltem divisio necessaria atque diversa accessus ratio, & quidem accessus nullus sine scrutinio sit, interim tamen nonnunquam per simplex scrutinium electio perficiatur, aliquando etiam vel unico voto in scrutinio recepto, alicui accessus dignitatem conferat, meliùs quatuor formæ sive modi numerari videntur; Quos

co; Capella, in quibus deliberationes & electiones fiunt;

Inter actiones in Conclavo primas est Capitulum pro futuro Pontifice conscriptio;

Electiones per solos Cardinales fieri solita modi diversi;

distinctè & juxta ordinem indigitatum enarrabimus, quando priùs notaverimus, posse Cardinales, secundùm suprà etiam memorata, electionem, si commodum illis sit, ipso ingressùs die aggredi; imò etiam antequam Conclave petant, sed modico temporis spatio, eligere posse. In Conclavi autem saltem *mane sequenti post clausum præcedente nocte Conclave*, sunt verba ea Cæremonialis Gregorii XV. *post solitum Campanula sonum, conveniunt Cardinales in eo presentes, qui infirmitate non sunt impediti, ad Capellam Paulinam, & ibi concelebrata consuetâ Missâ & factâ Cardinalium communione, statim ad negotium electionis procedere debent &c.*


Primus
modus per
scruti-
nium, An-
tescruti-
nium, cu-
jus actus;

XLIX. Et quidem ordinariò ferè solent & primò electionem per *scrutinium* tentare. De quo scrutinio apparebit, secretum esse, non publicum. Constat autem tota actio tribus partibus 1. *Antescrutinio*. 2. *Scrutinio ipso*. 3. *Post scrutinio*. Ad *Antescrutinium* pertinere dicuntur actus 5. sequentes: 1. *Preparatio Scedularum* 2. *Extractio Scrutatorum & Deputatorum pro votis infirmorum per sortem*. 3. *Scriptio Scedularum*. 4. *Earum complicatio*. 5. *Obfignatio*.


Primus,
Schedu-
larum
prepara-
tio;

L. *Primus* Antescrutini, sive scrutinium antecedens actus *Scedularum* nimirum *preparatio* ad Magistros cæremoniarum pertinet, qui eas impressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu scriptas secundùm formam infra ponendam accipiunt, & ponunt in disco, vulgò (*bacile*) nuncupato, quem in mensa ante Altare collocant, (apud Onuphrium habetur, debere esse calicem, in quo illa die sacra facta sint;) ut inde possint Cardinales, cum opus fuerit, *Schedulas* sumere; Sed *Vita di Sisto V. p. 1. l. 5. p. 460.* ubi de hodiernis electionis formis agit, & *Schedularum præparationem & scriptionem* singulis singulorum Cardinalium Conclavistis tribuit vespera præcedente conficiendam. Forma autem *Schedulæ* scrutini, quod ejus figuram atinet, est altera parte longior, hoc est, plùs longa quàm lata; longitudo ejus ferè palmi, latitudo autem dimidii palmi. Quoad contenta, in anteriori parte, quæ facies nominari potest, tria continet. *Primò* in superiori parte secundùm ejus latitudinem duo hæc verba (*Ego Card.*) cum tanta ab invicem distantia, ut inter ipsa nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit; & paulò inferiùs duos circulos parvos, ad loca sigillorum indicanda. *Secundò* in medio continet hæc verba: *Eligo in summum Pontificem Reverendissimum Dn. meum Dn. Cardinalem. Ter-*

Et in parte inferiori alios duos parvos circulos ad loca sigillorum similiter demonstranda. En ad meliorem perceptionem exemplum sive figuram anterioris partis, sive faciei Schedulæ talis scrutinii.



In exteriori autem parte, quæ tergum nominari potest, duo sunt imprimendi limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impressores adhibent, & vulgari vocabulo fregi nuncupant, quorum primum circa sui medium continet hoc verbum, *Nomen*, impressum secundum longitudinem ipsius limbi, alterum verò continet hoc verbum, *signa*, similiter impressum, ut præcedens. Hi autem limbi excogitati sunt ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet ad lumen nomina & signa eligentium conspici possint; Ubi verò impressoris copia non fuerit, limborum defectus lineis suppleri poterit. Sed en quoque figuram, sive exemplum tergi Schedulæ:





Secundus,
extractio
scrutato-
rium;

L I. *Secundus* actus antescrutinii, sive scrutinium antecedens est *extractio scrutatorum*: quæ extractio, antequam ad scrutinium procedatur, forte fit ita: In sacco aut vase publicè ponuntur tot schedæ, vel, si magis placet, spherulæ lignæ palàm numeratæ, quot sunt Cardinales præsentés in Conclavi, cum eorum nominibus, deinde per ultimum Diaconum extrahuntur primò scrutatores, qui brevitatis gratiâ *infirmarii* appellantur. De quorum omnium officio inferiùs suo loco dicendum erit. Si autem extractione scrutatorum & infirmariorum ac etiam recognitorum, de quibus quoque suo loco dicemus, extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem aliudve impedimentum muneribus dictis satisfacere non possunt, alii non impediti eorum loco extrahuntur. Peractâ verò extractione, Schedæ, seu spherulæ eorum, qui extracti fuerunt, in sacculum sive in vas iterum conjiciuntur.

Tertius,
Schedularum
Scrutini-
um Scri-
ptio;

L II. *Tertius* actus antescrutinii, vel scrutinium antecedens est *Schedularum scrutiniij scriptio*, quæ fit hoc modo: Ad duas vel plures parvas mensas, quæ sunt cum atramento & calamis paratæ in loco Capellæ apto, ut, qui scribunt, conspici possint, quid verò scribatur, non possit conspici, accedentes Cardinales per ordinem incipiendo à Decano & ibi sedentes in scabellis paratis, Schedulam quisque suam acceptam priùs ex disco scribit hoc modo. Primo in primâ parte in spatio inter verba, (*Ego Card.*) scribit nomen proprium; deinde in secundâ parte nomen illius, quem eligit, caractere tamen, quantum fieri potest, alterato, ut manus scribentis cognosci non possit. Attamen *Vita di Sisto V. l. c.* habet, omnia ordinariò Conclavistas scribere, non Cardinalem ullum (*altro che se sapesse contrasfare così bene lamano*) acciò che non sia osservata da altri e riconosciuta, già che in tal caso sogliono tutti stare molto

molto oculati, cercando ogni uno di penetrare il disegno dell' altro; che però si fa scrivere detto voto d'un altro, acciò da segreto, non venga poi con la cognitione della mano, farci palese, e dia occasione di odio e di diffidenza agli altri. (Nisi bene norit aliam literarum suarum figuram pingere) ne Scriptura ab aliis observetur & agnoscatur, cum in tali casu omnes oculati esse soleant valde, quovis propositum alterius penetrare studeante; hinc votum ab alio scribitur, ne secretum cognitâ manu palam fiat, & occasionem dissidentiae & odii aliis praebeat. Cavere autem quivis debet, ne plures in Scheda scribat, tunc enim suffragium juxta constitutionem Gregorianam nullum foret. In tertia verò parte signa, hoc est, numerum aliquem & dictum aliquod Scripturae, seu verbum aut aliquid hujusmodi scribit. Quod in collatione cum schedulis accessus juvat, tum enim sine tali signo semper nomina eligentium ipsa aperire deberent.

LIII. *Quartus* actus antescrutinii sive scrutinium antecedens est *schedularum complicatio*: quæ ut expeditius à Cardinalibus peragi valeat, à Magistris ceremoniaris, cum eas præparant, fieri solent in hunc, qui sequitur modum: Binæ sunt plicaturæ ex utraque parte cujusque schedulæ, ita ut nomen eligentis & signa, quum fuerint scripta, maneat tecta ex utraque parte à limbis; deinde, quod reliquum est, ita complicitur, ut scheda ferè ad latitudinem pollicis redigatur. Cæterum Magistri Ceremoniarum Schedulas non complicatas, sed explicatas, & cum cera rubra in parvis circulis ponunt in disco, & Cardinales postquam eas, ut supra scripserunt, eò usque solùm plicant, quò nomen & signa eligentis legantur, reliquas autem plicaturas tunc faciunt, quando schedulas, ut infra dicitur, obsignarunt.

Quartus, complicatio;

LIV. *Quintus* actus & postremus antescrutinii est *schedularum obsignatio*, quæ ab unoquoque Cardinali facienda est in tergo schedularum cum sigillo ad hoc parato, in loco parvorum circulorum, ubi cera fuerit posita. Porrò sigillum non est solitum Cardinalis, sed aliud & secretè habitum, & ita simplex, ut faciliùs notari possit, veluti si in sigillo sculpantur, aut tres numeri, aut tres literæ, vel literæ & numeri, vel una tantùm imago. Hæc de antescrutinio, sive de actibus ipsum scrutinium antecedentibus. Quæ autem respectu infirmiorum, ut vocant, aut aliter impeditorum observari solent, mox quoque dicitur.

Quintus, obsignatio;

L V. Actio-

Scruti-
nium
ipsum.
Vbi pri-
mò

L V. Actionis secundæ, quæ scrutinium appellari solet, octo sunt actus distincti, videlicet 1. *Delatio schedulæ.* 2. *Juramenti præstatio* 3. *Positio schedulæ in calicem.* 4. *Schedularum mixtio* 5. *Numeratio.* 6. *Scrutini publicatio.* 7. *Schedularum in filum insertio.* 8. *Earundem depositio seorsim.* De quibus actibus singulis nonnulla quoque annotanda sunt.

Delatio
Schedulæ;
Secundò
juramenti
præstatio;
Tertiò po-
sitio Sche-
dulæ in
Calicem;

L VI. *Delatio schedulæ, & duo sequentes actus,* qui ob eorum connexionem melius simul describuntur, hoc modo fiunt. Quilibet Cardinalis propriam schedulam, postquam illam scripsit, obsignavit & complicavit, duobus primis digitis sumit, ac elevatâ manu palam defert ad altare, penes quod stant scrutatores, & in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus, & paterâ coopertus, ibique genu flexens, aliquantulum orat, deinde surgens, altâ & intelligibili voce jurat in hanc formam, quæ in tabella super altari positâ descripta habetur: *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me eligere quem secundum Deum judico eligi debere, & quod idem in accessu præstabo.* Post hæc schedulam ponit in pateram, & per pateram mittit in calicem, quo facto inclinat se ad altare & ad suum locum revertitur.

Quid re-
spectu in-
firmorum
observari
soleat;

L VII. Hactenus recensita observantur, si Cardinalis ad altare pergere possit; nam si ob infirmam valetudinem non possit, & præsens in capella est, ultimus scrutator discum cum schedulis ad eum defert, ex quo Cardinalis infirmus, unam accipiens, eam in loco suo secretè, ut suprâ dictum est, conficit; deinde prævio juramento prædicto schedulam obsignatam & complicatam eidem scrutatori tradit, qui eam palam ad Altare & sine oratione & juramento in patinam ponit, & per eam in calicem mittit, quæ omnia observanda sunt per ultimum scrutatorem erga eos Cardinales, qui in Capellâ præsentés ob valetudinem ad Altare pergere non possunt.

Infirma-
rii.

L VIII. Si verò aliqui Cardinales infirmi sunt in suis cellis, tres Cardinales infirmarii, ut suprâ, extracti ad eos accedunt cum capsula altitudine unius palmi, in cujus superiori parte est rima, seu foramen, ejus magnitudinis, ut per illud schedula complicata possit per suam latitudinem intus capsulam transmitti, quam capsulam, antequam scrutatores infirmariis tradant, palam aperiant, ut cæteri Cardinales possint eam inanem & vacuam conspiciere, deinde claudunt & clavem ponunt super altare; Deinde
Infir-

Infirmarii cum capsula clausa & cum parvo disco tot schedulas continente, quot sunt infirmi Cardinales, ad unumquemque eorum accedunt, & infirmi acceptas ex disco schedulas secretè scribunt, obsignant & complicant, & prævio juramento jam dicto, in capsulam per rimam mittunt. Quòd si infirmi scribere non possunt, alii eorum arbitrio deligendi præstito de secretè servando in manibus Infirmiorum juramento prædicta faciunt; Qui non solum juramenti illius vinculo servare tenentur secretum, sed etiam, si contra faciant, in excommunicationem latæ sententiæ incurrunt. Hisperactis, Infirmarii ad Capellam cum capsula revertuntur, quam scrutatores aperiunt, & schedulas in ea contentas palam numerant, & tot repertas, quot sunt infirmi, ponunt sigillatim in patinam & per patinam simul omnes in calicem. Ne autem nimis in longum protrahatur scrutiniæ actio, Infirmarii possunt proprias schedulas statim post Decanum conficere & in calicem ponere, deinde dum cæteri Cardinales scrutinium agunt, ad Infirmos pergere ad accipienda eorum suffragia eo modo, quo diximus.

LIX. *Quartus actus scrutiniæ est schedularum permixtio: Quæ fit per primum scrutatorem, calice, in quo ipsæ schedulæ positæ fuerunt, patinâ cooperto, pluries agitato. Quintus actus est numeratio schedularum, quæ palam fit per ultimum scrutatorem, capiendo sigillatim unamquamque schedularum ex calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus est, calicem vacuum. Quòd si numerus schedularum non respondeat numero Cardinalium, omnes comburendæ sunt, & iterum, id est, secundâ vice ad suffragia statim est deveniendum. Si verò numerus schedularum numero Cardinalium respondeat, prosequendi sunt alii actus scrutiniæ.*

Quartò
Schedularum
permixtio;
Quintò
numera-
tio;

LX. *Sextus actus est publicatio scrutiniæ, quæ per scrutatores, qui sedent ad mensam ante altare positam, in hunc modum fit. Primus scrutator accipit unam schedam, eamque intactis sigillis explicat, & viso in ea schedula electi nomine, eam tradit secundo scrutatori, qui pariter eodem electi nomine perspecto, eandem tradit tertio, qui illam voce alta & intelligibili prælegit, ut omnes Cardinales præsentés notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habent cum nominibus omnium Cardinalium, notant autem juxta nomen Cardinalis ex schedula recitati. Idem fit de*

Sextò
publicatio
scrutiniæ;

cæteris schedulis in calice positis usque ad ultimum; Quod si in scrutinii publicatione inveniunt scrutatores duas schedulas ita complicatas, ut ab uno tantum datas fuisse appareat, siquidem unus & idem in utraque electus fuerit, schedulæ prædictæ habentur & notantur pro uno suffragio, si verò diversi fuerint notati, neutrum suffragium juxta Bullam Gregorianam validum est. Scrutinium tamen neutro casu vitatur. Cæterum suffragia prædicta possunt, finitâ scrutinii publicatione, à Patribus juxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigi, vel in separato folio ita notari: *Reverendissimus D. Cardinalis A. habet suffragia 20. Reverendissimus D. Cardinalis B. habet suffragia 15. & sic de aliis; Quod fit, ne Cardinales, cum opus est, semper suffragia numerare cogantur, qui juxta nomina Cardinalium notârunt.*

Septimò
schedula-
rum in fi-
lum inser-
tio; Octa-
vò deposti-
tio seor-
sim;

LXI. *Septimus* actus scrutinii est *Schedularum in filum insertio*, quæ, ut schedulæ ipsæ cautius conservari possint, excogitata fuit. Hæc autem insertio fit per ultimum scrutatorem, inferendo schedulam unamquamque, postquam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, ubi est verbum *Eligo*. Octavus & postremus scrutinii actus est *depositio schedularum seorsim*, quæ similiter fit per scrutatorem ultimum, qui finitâ insertionem schedularum omnium in filum, capita fili nodo jungit, & schedulas omnes ita colligatas in alium vacuum, vel in mensa seorsim ponit.

Postscruti-
nium;

LXII. Tradenda jam esset tertia totius actionis pars, quæ nomine *Postscrutinii* venit, & cujus actus, si electio per scrutinium secuta sit, tres tantum sunt. Videlicet 1. *Numeratio schedularum* 2. *Cognitio suffragiorum* & 3. *Schedularum combustio*. Qui tamen optimè ex iis, quæ de actibus compluribus Accessum proximè excipientibus dicenda erunt, cognosci poterunt.

Secundus
modus E-
lectionis
per Acces-
sum; Ad-
hibetur
postscruti-
nium in-
sufficiens;

LXIII. *Accessus*, secunda per Cardinales solos eligendi forma, frive, si quis malit, scrutinium compositum, multa habet cum scrutinio simplici, quoad schedularum scriptionem, obsignationem, complicationem, delationem, positionem in calicem, numerationem, publicationem, suffragiorum notationem & insertionem in filum ac depositionem seorsim, communia, atque adhiberi solet immediatè post scrutinium, si in eo Papa creatus non fuerit.

Quale
semper fe-
rè est;

LXIV. Rarissimè autem in ipso scrutinio electio perficitur. Aliquando quidem adeò felices fuerunt Electores isti, *ex gra.* quando post Martini V. mortem an. 1421. Cardinales, licèt paulò

ante respectu duorum aliorum divisi, Conclave cum unanimi sententia, Cardinalem Condulmarium, qui electus nomen Eugenii IV. assumpsit, creandi, ingressi sunt, eumque etiam in primo scrutinio, tribus tantum votis aliò directis, creârunt. Sic & mortuo Leone X. an. 1522. quamvis post longas disceptationes, quibus necessarius Medicæi abitus finem imposuisse in Conclavi dicitur, Adrianus VI. in Cardinalismo p. 3. l. 2. p. 248. 249. & Vita di Sisto V. p. 1. l. V. p. 410. in simplici, sed nono demum scrutinio, quod simplex fuisse, citati Authores, vel citati libri, citatus Author, volunt, delectus fuisse dicitur; sed per accessum electum fuisse Adrianum illum & non in scrutinio simplici, non tantum ex Conclavi, verum etiam ex ipso Cardinalismo Authore p. 3. l. 2. p. 157. qui proin quoad illud sibi contradicere videtur, constat, dum cum Conclavi consentiens, Adrianum in ultimo scrutinio 15. Ostiensem autem 14. vota habuisse, sed postea plures Adriano accessisse, tradit. Interim de illa electione Adriani per scrutinium simplex pronunciat *Il Card. l. c. Venne ad essere stimata, some una cosa non più successa un puro miracolo. Inaudita res existimabatur & miraculosa. Vita di Sisto V. loc. c. de electione per scrutinium simplex, per dire à vero, questo arriva tanto raramente, che quasi sene perde hormai la memoria. Id est; Ut verum dicam, hoc rarò accidit, ut memoria quasi perierit. Et de electione Adriani in specie: Da molti venne giudicata una cosa più tosto miracolosa che altra opera humana. Id est: A multis existimabatur res potius miraculosa, quam verò opera humana. Ubi tamen juxta Conclave & ipsum Authorem Cardinalismo l. c. nihil minus quàm miracula, humana omnia distinctè apparent.*

LXV. Multum similis est accessus antiquæ Senatûs Romani consuetudini, quâ Senatores nonnunquam, relicta priori sententiâ, ab alio propositam amplectebantur, & ad significandum hoc vel è loco suo versus Authorem sententiæ à priori sua diversæ ibant, vel simpliciter assurgentes altâ voce dicebant; *accedo ad talem*, ut etiam fieri solet in Conclavi, unde quoque nata est frequens apud Authores Latinos phrasis; *ire in sententiam alicujus*. Actus autem accessûs Conclavistici sunt septem, videlicet 1. Accessus ipse 2. Sigillorum & signorum, aperitio. 3. Eorum annotatio. 4. Suffragiorum examen. 5. Suffragiorum scrutinium, vel scrutiniû & accessûs numeratio. 6. Eorum recognitio, & 7. Scedularum combustio.

*Acceden-
di consue-
tudo ex
antiqui-
tate Ro-
mana. Ac-
tus di-
versi in
accessu;*

Differen-
tia inter
antece-
dentia &
actum
primum
accessus,
& inter
simplex
scruti-
nium.

LXVI. Quoad antecedentia & actum primum sequentes differentiae inter *scrutinium simplex* & *accessum* deprehenduntur; Primò quòd Cardinales schedulas pro accessu sumunt ex alio disco sive bacili, quàm ex quo sumserunt schedulas pro scrutinio; Secundò loco verborum in facie sive anteriori parte schedulae scrutini: *Eligo* &c. in schedula accessus, facie sive anteriore parte impressum est vel scribitur: *Accedo Reverendissimo Domino meo D. Cardin.* Tertio in schedularum accessus, scriptione, si Cardinalis nemini velit accedere, in media schedulae parte, loco nominis Cardinalis, qui scribendus esset, si ad eum fieret accessus, scribere solet: *nemini*. Quales *nemini* in Conclavi Alexandri VII. numero ad tempus constanti viginti & trium Hispani crediti fuerunt, *ed haveffero il Nemini per segno della loro unione, si che le speranze di Sacchetti cadevano par terra, essendo irremediabile la caduta. Et usi sunt voce Nemini tanquam signo confederationis sua, ita ut spes Sacchetti in terram ceciderit, cum lapsus inmedicabilis fuerit. Quem proin Nemo perdidit, vel Nemini.* Quartò non potest accessus fieri ad eum Cardinalem, qui in scrutinio saltem unum suffragium non obtinuerit, (*Quidam volunt dicere, apud Ant. de Rosellis Mon. p. 2. cap. 9. quòd accessioni locus sit demum, quando electus habuit saltem majorem partem Cardinalium, per tex. d. c. licet ibi nisi major concordia*) Ut debeat esse accessus etiam ratione voti in scrutinio priùs obtenti, neque ad eum, qui ab ipso Cardinali fuit in scrutinio nominatus; ut olim non dabatur in senatu accessus ad priorem suam sententiam; Sed ut ibi fuit sententiae mutatio, ita & heic esse debet, quamvis temerarium & parùm à perjurio remotum videri possit, nullis intervenientibus persuassionibus & majoris dignationis documentis, alium statim, & quidem ferè ordinariò præferre ei, quem quis paulò ante tanquam optimum eligendum esse censuerat. Quintò, quamvis in accessu non liceat plures nominare, sicut non licet in scrutinio plures eligere sub pœna nullitatis suffragii, tam in accessu quàm in scrutinio; licet A. de Rosellis l. c. p. 337. statuatur, *regulariter Cardinales eligere sub conditione, ut, eligo talem, si talis non erit, eligo talem, vel alternativè, consentio in talem, vel in talem, juxta glo. in c. 2. de elect. 16 in verbo alternativa; non item; eligo, quem eligat talis Cardinalis; nihilominus licet accedere uni ex pluribus nulliter à se nominatis in scrutinio, dummodò ei ab alio aliquod suffragium, non tamen nulliter, ut præfertur, in ipso scrutinio datum fuerit.*

fuerit. Imò necessariò alii, quàm quem quis in scrutinio elegerat, accedendum esse ex dictis patet. Sextò in accessu non præstatur iuramentum, de quo supra, quia jam in scrutinio præstitum fuit, per illa verba: *Et quod idem etiam præstabo in accessu*; subintellecto, si ad eum devenire necessum sit. Septimò Infirmarii deferunt ad infirmos schedulas accessus, & simul etiam folium impressum, in quo fit notatus suffragiorum numerus palàm recognitus, quem quisque Cardinalium in scrutinio nominatus obtinuerit. Illud quoque notandum est probè, debere schedulam accessus scribi & obsignari cum eisdem sigillis & signis schedulæ scrutini sub penâ nullitatis suffragii ipsius accessus.

LXVII. *Secundus, tertius & quartus actus post scrutini, accedente & numerato etiam accessu sunt sigillorum aperitio, eorum annotatio & suffragiorum examen*: qui actus tum solum locum habent, quando secuta est electio per scrutinium & accessum, & fiunt hoc modo: Primus scrutator schedulas accessuum, quos obtinuit electus, in ea parte solum, quæ signa continet, aperit, & inspectis diligenter eorum sigillis & signis, apertas ac in filo, ut erant, insertas tradit secundo scrutatori, & secundus, eadem inspectione factâ, porrigit tertio, qui altâ & intelligibili voce sigilla & signa prædictarum schedularum enuntiat & annotat in latere sinistro folii impressi ad hunc effectum parati, sub verbis (*sigilla & signa Accessuum*) quam etiam annotationem faciunt cæteri Cardinales, si velint in simili folio impresso. De quo tamen Vita di Sisto V. p. 115. p. 410. notat; *Che ogni Cardinale nota i suoi voti, ma non già quelli del compagno, è per lo piu se ne trovano di quelli, che non hanno la briga di notare; quemvis Cardinalem sua vota numerare, sed non aliorum, atque plerumque non egi cupidinem notandi urgere.*

LXVIII. Deinde primus scrutator, reliquis scrutatoribus inspicientibus, pro accessuum prædictorum examine capit schedulas scrutini, & incipiens ab uno capite filii, in quo infertè sunt, sigillum primæ ejus schedulæ quærit in sigillis accessuum notatis, ut supra in folio impresso; & si illud in eo non invenerit, omisâ primâ scrutini schedulâ, capit secundam ejusque sigillum similiter quærit, quod si etiam non invenerit, capit tertium & deinde sequentes sigillatim, donec sigillum alicujus earum inveniat; eoque invento, scrutini schedulam in eâ parte, ubi signa sunt, aperit, & si non invenerit signa hujus schedulæ concordare cum signis accessus, schedulam

Secundus, tertius & quartus actus Post scrutini, accedente & numerato etiam accessu;

Examiniatio;

illam omittit, & aliam capit, sicut paulò ante de schedulis non concordantibus in sigillo dictum est; si invenerit signa concordare, ostendit illa secundo & tertio, scrutatoribus, qui unâ cum ipso, post diligens examen super identitate sigillorum & signorum ambarum schedularum, scrutinii scilicet & accessus, inspiciunt, an idem, vel diversi in utraque schedula sint nominati; & si idem nominatus sit, suffragium accessus nullum censetur; si verò diversi nominati sunt, suffragium accessus pro valido habetur, & hoc casu tertius scrutator sigillum & signa schedulæ scrutinii, ac etiam nomen electi, qui in eâ continetur, altâ & intelligibili voce enunciat, & annotat in latere dextro prædicti folii impressi, sub verbis (*sigilla & signa scrutinii respondentia accessibus*) notat autem ex adverso accessus concordantis in sigillo & signis: quam annotationem cæteri quoque Cardinales, si voluerint, in simili folio impresso faciunt.

Signa & sigilla;

LXIX. Exemplum hujus actus ad faciliorem intellectum ex Ceremoniali Conclavis Gregorii XV. ex quo etiam pleraque excerptissimum hætenus de scrutinio & accessu dicta, subjungere visum est hocce, in quo Literæ Alphabethi, sigilla, verba, Deus &c. Signa sive Symbola indicant.

<i>Sigilla & signa Accessuum.</i>	<i>Sigilla & signa scrutinii Accessibus respondentia.</i>	<i>Cardinales nominari in scrutinio.</i>
ACD. 43. Deus,	} B R F. Bonitas. } RGJ. 50. Beatitudo.	} Card. S. Eusebii. } Card. S. Sixti.
BRF. 32. Bonitas.		
R G J. 50. Beatitudo.		
NSP. 26. Gloria.		

Quid fieri soleat, si duæ, vel plures schedulae reperiantur eadem signis & sigillis;

LXX. Quod si fortasse in ista inquisitione contingat, duas vel plures schedulas scrutinii reperiri cum eisdem sigillis & signis alicujus schedulæ accessus, tunc si in earum aliqua electus nominatus fuerit, in alia verò alius, primus scrutator, reliquis scrutatoribus similiter inspicientibus, scrutinii, schedulas ejusmodi & schedulam accessus in ea etiam parte, in qua est nomen eligentis & accedentis, aperit, ut constare possit secundum Gregorianam constitutionem de validitate vel invaliditate accessus; si verò in aliqua hujusmodi schedularum scrutinii concordantium

dantium cum accessu non sit nominatus electus, eæ schedulæ omit-
tuntur, & ad sublequentes proceditur.

LXXI. Quintus actus post scrutinii est numeratio suffragiorum, vel
scrutinii, vel scrutinii & accessus, quæ fit per scrutatores semper, si-
ve secuta sit electio, si-ve non: Si quidem secuta non sit electio, ut scia-
tur, quod in eo scrutinio, vel scrutinio & accessu, non habetur Pa-
pa, si verò secuta sit, ut constet de Canonica Pontificis electio-
ne; ita autem fit hæc suffragiorum numeratio: Scrutatores in unam
summam redigunt suffragia, quæ quilibet nominatus in Pontifi-
cem obtinuit, si-ve in scrutinio solo, si-ve in scrutinio & accessu si-
mul, & si invenerint, nullum ex nominatis ad duas tertias partes
suffragiorum pervenisse, non habetur Papa in illo scrutinio, si-ve
scrutinio & accessu, si verò invenerint aliquem ex nominatis duas
tantum partes obtinuisse, aperiunt electi schedulam, etiam in ea
parte, in qua est nomen eligentis; Et siquidem ex ea apparuerit,
electum alii suffragatum fuisse, electio ejus est Canonica; si verò
constiterit, sibi suffragium dedisse, ejus electio ex dispositione Gre-
gorianæ constitutionis nulla est ob defectum unius suffragii, si de-
nique plures invenerint, duas tertias partes suffragiorum obtinuis-
se, vel etiam ultra duas tertias, tunc suffragiorum paritate nullus
est electus, in imparitate verò ille est Canonicus Papa, qui superat
alium etiam in uno suffragio.

Quintus
actus, nu-
meratio
suffragio-
rum;

LXXII. Sextus actus post scrutinii est Recognitio, quæ per
Recognitores, si-ve secuta sit electio, si-ve non, fieri solet; inspicien-
do tam schedulas scrutinii & accessus, quam suffragiorum anno-
tationes factas per scrutatores, ut per hujusmodi recognitionem
constare possit, an scrutatores sincerè & fideliter muneri suo satis-
fecerint. Recognitores autem extrahuntur sorte, ut scrutatores &
Infirmarii, statim quidem post scrutinium, si secuta sit in eo ele-
ctio, si verò non sit secuta, post scrutinium & accessum, cum scilicet
scrutatores impleverint numerum per numerationem suffragio-
rum.

Sextus,
Recogni-
tio per Re-
cognitores;

LXXIII. Septimus & postremus actus post scrutinii est
combustio omnium schedularum, quæ semper, & palàm per scruta-
tores fit, ac statim post recognitionem, si-ve Electio sit secuta, si-ve
non. Et hæc omnia, quæ de scrutinii ritibus exposita sunt, serva-
ri debent diligenter à Cardinalibus in omnibus scrutiniiis, si-ve
fiant manè post Missam, si-ve vesperè post Hymnum, (Veni creator

Septimus,
Schedula-
rum combu-
stio;

Spiritus)

Spiritus) bis autem in die uno ut fiant, per Bullam Gregorij XV. haud licet, & quidem sub excommunicationis poena illud vetuit.

Concludi-
sur tra-
ctatio de
scrutinio
& accessu;

LXXIV. Ex dictis constat, quàm sollicitè ambitionis humanae machinationibus in electione successorum occurrere voluerint Pontifices nonnulli, quàm omnia minima etiam definiri, fraudi undiquaque aditum præcludi necesse fuerit; Interim memoratos eligendi modos nævis adhuc dum in praxi pluribus scaterere, fraudes sæpe intervenire, quos proin prævenire voluisse frustraneum profus fuerit, scrutinium ab una parte simplicem ceremoniam esse, & aliunde planè vim electionis hodie dependere, ab altera tamen parte diurnitatis Conclavium causam & pertinaciæ instrumentum esse, ex sequenti nostra de nævis electionum tractatione patebit, ut spero, luculentissimè.

Tertius
modus eli-
gendi per
adoratio-
nem, vel
per inspi-
rationem;

LXXV. Jam autem pergimus ad tertiam per solos Cardinales eligendi formam, quæ per *adorationem*, vel per *inspirationem*, seu, ut in sacris Canonibus scriptum esse Gregor. XV. in Ceremoniali Conclavis perhibet, quasi per *inspirationem*. Quas, autem illud hic minimè superfluum esse sequentia docebunt. De illa autem electionis quasi per *inspirationem*, scilicet Spiritus S. forma sequentia Gregorius idem ibidem habet; in eo consistere, quòd omnes Cardinales, quasi afflati Spiritu S. aliquem unanimiter & vivâ voce summum Pontificem proclamant. Sequentia autem circa istam formam notari debere, monet. *Primò* posse prædicari solùm in Conclavi & eo clauso. *Secundò* debere fieri ab omnibus & singulis Cardinalibus in Conclavi præsentibus. *Tertiò* communiter, & nemine eorum dissentiente. *Quartò* nullo præcedente de persona speciali tractatu, & per verbum (*eligo*) intelligibili voce prolatum, aut scripto expressum, si voce non possit proferri; Exemplum autem suppeditant in hunc modum: Si aliquis Patrum, clauso Conclavi, nullo, ut præfertur,) speciali tractatu, diceret: *Reverendissimi; respectâ singulari virtute & probitate Reverendissimi N. judicarem illum eligendum esse in summum Pontificem. & ex nunc ego ipsum eligo in Papam.* Deinde si, hoc audito, cæteri Patres, nemine excepto, sequentes primitentiam eodem verbo (*eligo*) intelligibili voce prolato, aut si non potest, in scriptis expresso, eundem N. de quo nullus specialis tractatus præcessit, communiter eligerent, ipse N. esset Canonicè electus & verus Papa. Per *adorationem* autem id fieri dicitur, quia vocem gestus *adorationis* & profundæ *inclinationis* comitatur, vel statim

statim excipit, quâ tamen appellatione per adorationem Gregorius non utitur.

LXXVI. Ex dictis evidenter apparet, juxta Gregorium, per adorationem, sive quasi per inspirationem Papam eligi debere communi omnium & singulorum Cardinalium præsentium consensu, ne hic sufficere duas tertias. Quod & convenit cum verbis Cardinalis Rhotomagensis in Conclavi Pii III. prolatis, cum enim Author Conclavis, (qui proin Cardinalis etiam fuit, & quidem ex præcipuis) postquam cantasset Missam Spiritus S. Cardinalibus diceret, *che poiche erano d'accordo, era bene facessero l'electione per via dello Spirito Sancto*; Id est; *quia concordés sint, commodè adhiberi posse electionem Spiritus S.* respondit ille; *Electionem per viam Spiritus S. esse periculosam, cum, contradicente vel uno, electio sit nulla, che l'eleggere per via dello Spirito Sancto era pericoloso, perche contradicendo un solo l'electione era nulla.* Et tamen Onuphrius Annot. ad Clem. V. Plat. adorationem justam 2. partium pronuntiat, & Authores recentiores, nempe *Il Cardinalismo p. 3. l. 2. p. 249. 250. & Vita di Sisto V. p. 1. l. 5. p. 411.* ita de electione per adorationem loquuntur, ut expressè dicant, sufficere in ea quoque forma duas tertias, & tunc demum electionem talem nullam esse, si aliquis contradicat ex duabus tertiis. Quemadmodum certè etiam exemplum Sixti V. quod Gregorius Læti in vita cit. describit in casu adorationis per omnes & singulos faciendæ Fautoribus impossibile videri potuisset, cum habuerit aliquo modo inimicos, quidam etiam fraudibus circumventi in Capellam perducti fuerint.

LXXVII. Ut verum fatear, ista de numero ad adorationem requisito differentia satis ponderosa mihi jam cogitationes de diversis adorationis & inspirationis formis, adeoque de quinta forma per solos Cardinales suggestit, quia videbam Gregorium, qui omnium & singulorum ad electionem per quasi inspirationem concursum requirit, vocabulo adorationis neque in Bulla, neque in Cæremoniali uti, illos contrà, qui de duabus tertiis hic sufficientibus loquuntur, nominatos authores, nomen inspirationis, vel quasi inspirationis in descriptione non adhibere Intercessit tamen tandem Author Vitæ Sixti V. his verbis post descriptionem demum positus: *Questo modo di eleggere il Papa per via d' improvvisa adorazione, se bene da molti anni in dietro era stato chiamato d'alcuni la vera via dell' ispirazione Divina &c.* Id est: *Hic modus Papam eli-*

*An sic
modus
unicus per
adorationem
&
per inspirationem;*

gendi per improvisam adorationem licet à multis abhinc annis à quibusdam vocatus sit vera via inspirationis Spiritus S. &c. Ubi illi ipsi eligendi per adorationem modo, ad quem duas tertias sufficere jam dixerat, à longo tempore nomen inspirationis divinæ tributum fuisse agnovit. Ut & ad cogitationes illas meas supprimendas haud parùm juvit, quòd viam adorationis per duas tertias & inspirationis per omnes & singulos à nullo Authorum tanquam diversas tradi incidit.

Pugna de numero necessario qualis maneat;

LXXVIII. Oportet igitur, ut vel errent Authores isti, vel, Author iste si idem utrumque tractatum, ut verisimile mihi videtur, dederit, dum dicitur duas tertias sufficere, veterem rigorem tempore Sixti V. fortè relaxatum, à Gregorio XV. reductum esse, vel hunc diversam ab adoratione, quam dicti libri exhibent, formam tradere. Diversam autem, quæ legitima & aliquando exercita sit, tradere, ex dictis vix verisimile relinquatur; Eum, ut & authores illos in assignando necessario numero errasse, pronunciare non audeo, quando iis moderni Conclavium Authores non obscurè adstipulantur; Cùm enim e. g. in Conclavi Clementis VIII. S. Severina ferè à 35. per adorationem electus esset, unicum votum ad constituendum numerum 36. id est, duarum tertiarum defuisse dicitur, quod ipse S. Severina addere non potuit, *già che non haveva potestà, cum non habuerit potestatem adorandi se ipsum.* Igitur si vel unicum votum adhuc accessisset, si accessisset vel unicus adorator, S. Severina à 2. tertiis legitime per adorationem electus Papa habitus fuisset. Sed etiam pro eodem numero sufficiente facere vident ea, quæ jam de periculo electionis per adorationem dicturus sum. Solvat, vel fecit nodum, qui potest; Verba Gregorii clara sunt, sed & evidens, diversum tradi ab aliis.

Rarior est electionis modus per inspirationem; periculosus eligendo, si omnium vota requirantur;

LXXIX. Fortè distinctius istum eligendi per inspirationem Spiritus S. modum cognosceremus, si frequentius adhiberi foveret, sed rarius adhibitus fuit; Onuphrius *annot. in Clem. V. Plat. ita Julium III. Marcellum II. & Paulum etiam III. renunciatos esse dicit, inde à facta Gregorii XV. Bulla nunquam adhibita est, nunquam etiam, ut videtur, amplius adhibebitur. Nec ea mea tantum conjectura est, sed ita de citata sæpius Gregorii Bulla Author Conclavis Urbani VIII. loquitur; la nova Bolla haveva à bazzanza proveduto che all' improvviso, si come veniva prima per mezzo dell' adoratione, non si potesse fare il Papa.* Id est: Nova Bulla satis providit,

ne ex improvise, quemadmodum antea eveniebat, mediante adoratione, fieri posset Papa. Providit, non prohibendo, nam in Bulla expressa habentur verba; non improbanus; sed omnium & singulorum ad unius electionem nullo speciali tractatu prævio concursum, qui impossibilis habetur, requisito. Et certè, non immeritò supra Rhotomagensis præsupposità talis concursus necessitate electionem per inspirationem Sp. S. periculosam, eligendo nimirum & eligentibus vocavit.

LXXX. Ut ab altera parte Authores illi, qui duas tertias sufficere arbitrantur, periculosum Ecclesiæ esse istum eligendi modum judicant, parùm etiam cum electionis necessaria libertate convenire. Ita enim in *Vita di Sisto V. l. c.* legitur: *Questo modo ogni modo era tenuto per violente e pericoloso, perche trè d quattro Cardinali, spesso volte i più giovani, erano quelli, che d per potenza, d per aderenza facendo li Capi degli altri, quidavano e reggevano il Conclave secondo la loro propria ambitione. Che però li Pontefici providero con santissime leggi, ordinando, che l'elatione del Papa si facesse per solo scrutinio, accio che ciasacun Cardinale fosse libero nel dare il voto secondo la sua coscienza, e non già secondo l'altrui pareri; Id est: Hic modus omnimodo habebatur violentus & periculosus, quia tres aut quatuor Cardinales, saepe maximè juvenes, aut potentià, aut adherentium numero se Capita aliorum constituendo, ducebant & regebant Conclave secundum propriam ambitionem. Quare Pontifices sanctissimis legibus caverunt, ut electio Papæ fieret per solum scrutinium, ut quivis Cardinalis liber esset in dando votum suum secundum conscientiam suam, & non secundum aliorum opinionones. Passioni, Passiones, habet Conclave Sixti V. unde Author ista exscripsit. Quas autem leges innuant, nescio, nisi ad Bullam ipsam illam Gregorii respiciant talem, qualem innui. Consentit Il Cardinalismo l. c. p. 250. dum sequentia habet: *L'adoratione si suolentare da qualche numero di Cardinali ostinati alla promotione di qualche soggetto portato da loro, dubitando, che nello scrutinio segreto possano mancare alcuni, di quelli, che haverano dato ferma parola, come già si è visto mille volte, dove che nell' adoratione, ch' è una cosa publica, non si può ingannare, a chi si sià donato la parola. Id est: Adoratio tentari solet à quibusdam Cardinalibus obstinatis ad promotionem ejus, quem volunt, quando dubitant, de fide quorundam, qui promiserant, in scrutinio secreto, qua vel millies jam defuisse deprehensa fuit, cum in adoratione, qua publicè fit, non possit decipi, cui fides data. Periculum tamen etiam ro-**

*Ecclesia
judicatur
periculo-
sus, si dua
tertia suf-
ficiant;
qualis
tunc eli-
gendo
quoque
est;*

spectu sui, quem ita eligere volebant amici, præsuppositâ licet sufficientiâ duarum partium, agnovit in Conclavi Pauli V. Cardinalis Tosco, qui ex improvviso adorare volentibus & sufficientem numerum promittentibus obsequi noluit, *parendogli questa proposta piena di troppo tumulto e pericolo, id est, quia ei videbatur propositio talis plena tumultu & periculo.* Author Conclavis tamen judicavit, cum adorationem tunc non admittendo rebus suis malè consuluisse, quia revalescente Cardinale Aldebrandino ejus adversario, amicum numerus diminutus fuerit.

*Adorati,
nec tamen
electi;*

LXXXI. Nempe adorati non semel à multis fuère, qui tamen non obtinuerunt, illi ipsi præter alios, quorum jam mentionem feci S. Severina & Tosco; Illum adorare voluerunt jam ante discessum Legati Regis Hispaniæ, electioni, quam pro certa habebat & ipse, faventis; Et cum postea cum ipso 36. (qui numerus sufficiens fuisset) eum adoraturi per salam Regiam pergerent, atque Altempsum ad augendum numerum ipse S. Severina corpus ad illum amabiliter amplectendum inclinaret, humanitatem tamen Altempsius ambabus manibus & prolata voce: *Và via Papa del Diavolo: Id est: Apage Papa Diaboli; rej: cit, quam & appellationem parùm honorificam alia occasione mox subsequuta repetiit, & unâ cum aliis electioni isti intercessit.* Hic verò, Tosco nimirum, cum jam eum complures per adorationem eligere tentassent, à Baronio à sede Pontificiâ, quam jam penè occupaverat, dejectus fuit, placuit enim Deo, ut ait Author Conclavis, *di spiccar la pietra piccola della parola di Baronio, per dar con essa ne' piedi di questa grande statua di Nabuchodonosor e gettar la à terra. Id est; movendi parvum lapidem verborum Baronii, ad allidendum ad statuam Nebucadnezaris (coram qua jam plures procidebant;) & illam in terram projiciendam; Testatus enim est altâ voce Baronius fraude in Capellam perductus, di non voler andar' à quella adoratione, se non in ultimo luogo, che voleva, che si scrivesse nella suoi stivali, che egli era stato l'ultimo à concorrere à questa electione; Id est: Ultimum se adorationi illi accessurum, atque velle, ut inscriberetur ocreis suis, se ultimum fuisse.* Qui & contrarium sermonis sui profitentibus aliis, & electionem bonam vocantibus, dimenando la mano per il petto e crollando il capo, reprovd questa risposta con igesti con sospiri e parole interrotte; Id est; manus per pectus trahendo, caputque movendo, rejecit illam responsionem gestibus & suspiriis & verbis interruptis. Qua ratione etiam animos multorum Adoratorum ad alia

con-

consilia perduxit, atque, ut irrita esset à multis jam facta adoratio heroico planè Zelo effecit. Quid autem de ejusmodi adorationibus judicandum sit, ubi de adoratione electionem consequente acturi sumus, indicabitur.

LXXXII. Si autem obtinuit facta à numero, qui sufficiens creditur, adoratio, nihilominus adhuc scrutinium adhibetur. Sed semper vel ab adorato, vel ab adoratoribus inelamatur, ut illud sine adorationis factæ præjudicio fiat, quæ protestatio nonnunquam etiam scripto, & per Notarium fit. Et quidem in Sixto V. Author Vitæ primum actum ambitionis externum interpretatur, quòd cum Decanus post adorationem factam omnes ad faciendum scrutinium sedes suas occupare juberet, Promotori suo præcipuo Cardinali S. Sisto in aurem dixit: *Fate istanza, che lo scrutinio si faccia senza pregiudicio dell' adoratione*; Id est: *Instate, ut scrutinium fiat sine præjudicio meo*. Qui & mandato obsequens bis vel ter cum Cardinali Alexandrino Fautore altero clamavit; *Senza pregiudicio dell' adoratione*; Id est: *Sine præjudicio adorationis*. Et cum tunc inciperet electus à *levar quelle nebbie di finitioni, che havevano tenuto nascosto per più di quindici anni l'ambitione grande, che li regnava nel cuore, tollerare nebulas illas simulationum, quæ tenebant occultam ultra 15. annos ingentem ambitionem, quæ dominabatur in corde ejus*; & baculum abjiceret fulcrum antea suum, & erectus staret, visus sic pede longior, & exspueret cum tanta vehementia, quàm majorem in eo adhibere juvenis 30. annorum haud potuisset, & Cardinales unus alterum mirabundi aspicerent & Decanus, metamorphosi illà in Montaltio & signis pœnitentiæ in aliis notatis, altâ voce: *Piano, vi è errore ne' voti, lo scrutinio non è buono*; Id est; *Expectate, est error in votis, scrutinium non est bonum*; E buono; *Est bonum*, regessit, atque ipse cantari post electionem solitum: *Te Deum laudamus*; voce tam sonorâ & altâ intonavit, ut sonus percussus Salam planè repleverit, ab eo veniens, qui prius verbum nisi bis aut ter tussiens, nullum protulerat. Ad cujus exemplum etiam miser ille S. Severina scrutinium sine præjudicio adorationis fieri voluit: *Signori, dicebat ad scrutari volentes, io mi protesto, che tutto si faccia senza mio pregiudicio*; Id est: *Domini, protestor, ut omnia fiant sine meo præjudicio*. Atque Decanus regessit, omnes consentire, interim tamen cuncta ex amore fieri debere, atque ignoscendum esse. Quibus ille reposuit: *Come se (non) voglio perdonargli? Anzimi voglio chiamar Clemente per mostrare in nome e*

Scrutinium post adorationem sine præjudicio;

in fatti, che troveranno il contrario di quello, che si sono imaginati; Id est: Quasi verò ipsis ignoscere nolim? Potius vocari volo Clemens, ad ostendendum nomine & factis, alium me futurum, quàm sibi sunt imaginati. Sed frustra Clemens appellari voluit ipse paulò post Clementiæ alterius objectum, Clementis alterius, qui ex Conclavi illo prodiit.

Quid fieri
debeat, si
post adorationem
scrutinium de-
ficiat;

LXXXIII. Et quia post adorationem à legitimo numero fratrum Scrutinium aliquando deficere posset, ideo Author Cardinalissimi l. c. commodè illud dubium proposuit; quid fieri debeat in tali casu? Respondet; hoc nunquam accidisse hæctenus, nec proin decisum esse, cum casuum decisio plerumque casus sequi soleat; se tamen credere, in tali casu aut schisma oriturum, aut accessuros esse adorato. Non autem posse casum accidere, quia adoratione factâ scrutinium publicum sit, quod fortè observari soleat ad ipsum schisma evitandum. Verum quidem est, id aliquando observatum esse. Exemplum suppeditat idem p. 154. in Paulo III. in cujus scrutinio adorationem subsecuto *missero tutti i Cardinali le lor Polize aperte, in modo, che Ciascun poteva leggere commodamente tutto quello che scriveva il suo compagno.* Id est: *Posuerunt omnes Cardinales schedas suas apertas, ita ut quilibet commodè legere potuerit omne illud, quod scribebat ejus socius.* Quamvis tunc adhuc Cardinalis Trivultius se ei opponere aliquo modo ausus fuerit, hinc acriter ab adorato increpatus, & ad mutuam reconciliationem adactus. Interim tamen verum & illud est, legem Scrutinium tale publicum probantem non dari, quamvis electionem per adorationem probans omnino detur, dentur etiam ita electorum exempla; Insuper constat, Cardinales excludentes ad Scrutinium post adorationem S. Severinæ instituendum concurrere noluisse, *sentendo, che s'era ordinato, che si dessero li noti aperti.* Id est; *Sentientes, constitutum esse, ut nota darentur aperte;* Sed de nullitate protestatos esse.

Quartus
eligendi
per solos
Cardinales
modus
per compromissum;
Vbi compromissarium
construunt;

LXXXIV. Quarta nunc tandem sequitur electionis per solos Cardinales forma, quæ est per compromissum, quam verbotim damus, sic ut eam in Cæremoniali Gregorii XV. sequentibus verbis traditam reperimus; Modus per Compromissum est, quando scilicet Cardinales ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesie Catholica provideant de Pastore, cujus forma praxis potest esse hujusmodi: *Primò omnes & singuli Cardinales in Conclavi clauso presentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex Patribus compromissum faciunt*

faciunt e. g. in hanc formam : In Nomine Domini Amen! Anno ab ejusdem &c. mense &c. die &c. Nos Episcopi, Presbyteri & Diaconi S. R. E. Cardinales omnes & singuli in Conclavi existentes videlicet N. N. (*& sigillatim omnes nominentur Cardinales*) elegimus per viam procedere compromissi : & unanimiter & concorditer, nemine discrepante, elegimus Compromissarios N. N. & N. Cardinales &c. quibus damus plenariam facultatem & potestatem providendi S. R. E. de Pastore sub hac forma videlicet (*Hic optimum erit, ut Cardinales compromittentes exprimant modum & formam, secundum quam electus debet censerī verus & legitimus Papa, ut puta, si electi sint tres compromissarii, declarandum est, an ad hoc, ut electio sit valida, prius proponere debeant Sacro Collegio personam vel personas ab ipsis nominandam vel nominandas ad Pontificatum, an verò absolutè debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam, an verò sufficiat, quòd duo in unam concordent, & an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, & alia his similia :*) His autem vel aliis similibus expressis addi compromisso solet tempus, ad quòd usque volunt Cardinales potestatem Compromissarios habere eligendi, & postea subjunguntur hac verba : Et promittimus, nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem D. D. Compromissarii secundum formam prædictam duxerint eligendum. *Vel alia ad formam Compromissariis præscriptam accommodata.*

LXXXV. Secundò, completo hujusmodi mandato, Compromissarii ad partem in aliquo loco separato se conferunt, & de electione facienda tractant, & solet inter eos præmitti protestatio, qui per quamcunque prolationem verborum, suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponunt, Et hac protestatio videtur necessaria inter Compromissarios, ut verbis humanis & reverentialibus inter se sine præjudicio uti possint. Tertiò factà per Compromissarios electione secundum formam ejus præscriptam, & servatis iis, quæ Gregorius XV. in sua constitutione jussit, electus per hujusmodi viam Compromissi est Canonicus & verus Papa.

LXXXVI. Satis ex his constare potest, tota electionis per Compromissum ratio, quæ nimirum adhiberi solet, si Cardinales inter se discordes de eligendo vix convenire possent; Habita fuit rarissime & notum est exemplum Cardinalis de Ossa Cadurcensis Galli, qui, cum Clemente V. An. 1314. mortuo, Cardinalibus mixè dissentientibus, duorum a minorum Inter-Pontificium esset,

Quando adhibita & adhiberi solet;

effet, & eligendi tandem Pontificis arbitrium ei soli deferretur, præter omnium expectationem conscenso throno; *Ego sum Papa*; clamavit, atque sic, Jove scilicet æquo judicans, se ipsum elegit, Johannes XXII. al. XXIII. dictus. De quo exemplo mox in nævis pluribus acturi sumus. Exinde non legitur unquam adhibita, quamvis juxta allata ex Cæremoniali adhuc adhiberi possit.

*Peculiaris
eligendi
modus in
electione
Martini V.*

LXXXVII. Atque hæc sunt Electionis per solos Cardinales Formæ, constanti ordine semper hæc est electio per solos Cardinales inde à prima institutione, sed, ut dictum, variè facta, nisi quòd in Concilio Constantiensi, depositis aliis, novus Papa, Martinus V. non tantùm à 32. Cardinalibus, sed &, ut omnis scrupulus, & æmulatio Nationum omnis tolleretur, à 30. Nationistis, id est, Viris Ecclesiasticis præcipuis ex 6. Nationibus Christianismi præcipuis simul ibi Conclave ingressis an. 1414. ipsa S. Martini feria post trium duntaxat dierum moras electus fuit. Qui tamen casus peculiaris in peculiari rerum confusione & planè extraordinarius fuit, nec Concilium eâ ratione electionem per solos Cardinales sustulit, quam potius decreto suo stabilivit. Ut non opus fuerit ab hoc unico exemplo propriam formam denominare, nec etiam opus sit ejus considerationi diutiùs immorari.

*De modo-
rum isto-
rum San-
ctione &
mandata
perennita-
te; ex Bul-
la Pii IV.*

LXXXVIII. Varii varia nugantur disputando, *an istæ electionis formæ solæ jam sint legitima, annon aliæ etiam adhiberi possint, penes quem sit novas introducere &c.* Nobis istud tantùm adhuc notâsse sufficiat, Pontifices certè, qui de hodiernis formis, loco, legibus &c. constitutiones ediderunt, earum perpetuitatem simul imperâsse; Decernit Pius IV. in fine Bullæ suæ aliquoties citatæ constitutiones illas suas omnes & singulos Cardinales etiam absentes, præsentis & futuros & alios quoscunque, quorum interest vel interesse possit, ligare, nullamque earum ignorantiam præterdere posse, ac si eis personaliter intinata forent, præmissis, ac aliis constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergò omnino hominum liceat, ita pergit, hanc paginam nostrorum definitionis, statutorum, declamationum, prohibitionum, mandatorum, interdicti, præcepti, rogationis, hortationis, & voluntatum (satis bullanter) infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus (satis severè) se noverit incursum.

LXXXIX.

LXXXIX. Nec indulgentior est sapius citati à Gregorio XV. editi Ceremonialis Conclavis clausula, quæ ita se habet: Motu itaque proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolica potestatis plenitudine, omnia & singula in prædicto Ceremoniali ordinata & quomodolibet contenta, tenore præsentium perpetuo approbamus & confirmamus; illisque omnibus & singulis perpetuum & inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, eaque à Venerandis Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus omnibusque & singulis aliis, ad quos spectat & spectare quomodolibet poterit in futurum, omnino observari præcipimus & mandamus, ac Ceremoniale hujusmodi, in totum vel in parte mutari, vel ei aliquid addi prohibemus. Decernentes, sic & non aliter per quoscunque ac eosdem S. R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, ubique judicari & definiri debere. Non obstantibus omnibus illis, quæ in primò dicta constitutione volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c.

Ceremoniali Gregorii XV.

XC. Nec contentus hisce Pius IV. Executores etiam Bullæ suæ his verbis deputare voluit: Quia verò parùm esset jura tradere, nisi forent, qui executioni ea demandarent; statuimus & ordinamus, ut Prælati, Rectores, Officiales Urbis, ac Principum Oratores, Illustris Viri, quos omnes à Collegio pro custodia Conclavis eligi contingat (eligere autem Collegium debebit eos, qui ad id magis idonei videntur) præmissa omnia plene ac inviolabiliter ac sine fraude & dolo aliquo observari faciant, de quo corporale juramentum coram ipso Collegio ante ingressum Conclavis, quoties opus fuerit, præstare teneantur; quæ quidem nisi fecerint, vel, si in eis dolum aut fraudem commiserint, prædictas penas & cæteras in dicta constitutione Gregorii X. contentas incurrant.

Executores legum;

XCI. Sed quàm facile Papa Papæ decreta mutet, corrigat, tollat, notissimum est; Quàm legitima sit praxis, in tractatione de nævis & vitiis Electionis, ad quam jam devenit, est, explicabitur; Maximè quoad Moralia, ut sic loquar, constitutionum istarum, quæ hæctenus tangere non opus fuit, & quæ in iisdem constitutionibus comprehensa, cum eadem quoque severitate commendata, aliam in Constitutionibus, in praxi aliam, longè aliam habere faciem proximè ostensurus, huic de Electionis Pontificum Romanorum Formis Dissertationi facio finem.

Constitutio;